PETRI VERDAVENEI TRES DE TRIBVS PHILOSOPHIAE PARTIBVS ORATIONES, CVM QVINQVE DISCIPVLOrum ſuorum Declamatiunculis, de Fœlicitate, & Virtute.

AD

Carolum Lotharingum, Cardinalem illuſtriſsimum.

RHEMIS,
Excudebat N. Bacnetius, eiuſdem
Cardinalis Lotharingi Typographus,
Sub Leone.

1556

Carolo Lotharingo il-
LVSTRISSIMO PRIN
CIPI, ET CARDINALI
MERITISSIMO PETRVS
Verdaueneus
S

EGO cùm votis omnib' ſæpius optaſſem (Cardinalis illuſtriſſime) vt quo tempore mihi publicè toto triennio philoſophicæ meæ profeſſionis, ex Academiæ tuæ inſtituto dicẽdum fuit, vel tua vel hui' vrbis fortuna huc te adueheret, nec tamen id cõſequi potuiſſem, quod tanti regni tanta adminiſtratio aliò diſtraheret: nouáq; quotidie impedimẽta ſuggereret, collegi quædã ex his quæ à me diſcipulíſq; meis dicta fuerũt: quæ

ſi minus per tuas occupationes te pręſente dicere fuit cōceſsum, amplitudini tuæ (propter iſtam tuam humanitatē) offerre, ſit liberū: nō vti legas (quid enim in puerilibus his declamatiūculis, vel ſingulari & propè diuina tua eruditione, omniúmq; rerū cognitione, vel ingenij tui bonitate et acumine, quo res innumeras accuratiſſimè tractare, & in ſingulis ipſarū artifices vel æquare, aut etiā ſuperare ſoles, dignum reperiatur?) non vti legas inquam, ſed vt in his diligentiæ noſtræ teſtimoniū habeas. Alij verò & quæ in Academia tua Rhemēſi philoſophiæ tractandæ ratio ſit, intelligāt: & earum diſputationum, quæ ſtatutis tuis imperantur, formam & imaginē depictam videāt. Vale ex Gymnaſio tuo Rhemēſi.

PETRI VERDAVENEI ORATIO

DE DIALECTICA, HABITA INITIO PROFESSIONIS ſuæ Anno 1553.

ETSI non ignoro me noui nihil hoc tempore vobis audientibus eſſe dictũ (propterea quod doctiſſimi viri annis ſuperioribus hoc iter ingreſſi, cũ de ſua profeſſione dicerent, totum hunc locum de quo mihi dicendum eſt, tam copioſè tractarunt, vt poſteris ad dicẽdum nihil reliquere velle viderẽtur) tamẽ & huius Academiæ cõſuetudo, & ſuſcepti à me laboris ratio poſtulat, vt iiſdem veſtigijs ingreſſurus (quibus illi penè totum iter cõfecerũt) & de Dialectica (à qua initium hęc noſtra eſt habitura peregrinatio) aliquid dicam, & de inſtituto meo certiores vos faciam. Quo in loco hæc a vobis eſt exoranda venia, vt me de duobus his dicentem, benignè atque attentè ſicuti facitis, audiatis. Quæ enim mihi iuſtiſſima cauſa viſa eſt ad dicendum, eadem credo ampliſſima videri debet ad audiendũ. Verũ enimuero ne nullo ſcopo propoſito oratio noſtra vagetur, ſed potiꝰ certis finibꝰ cõcludatur: quoniã diſputationis noſtræ prima pars eiuſmodi eſt, vt

Partitio orõnis in duas partes.

dicendi campũ habeat amplissimũ, in quo liberè vagari & errare possit: vt nos in dicendo habeamus, in quod perpetuò intueamur, & vos in audiẽdo, quod quisque sequatur: de primis Dialecticæ authoribus primùm, tum de eius præstantia, postremò de vtilitate dicemus.

† Est celebris & antiqua de Prometheo fabula, à Poëtis & Philosophis ita nobis tradita, vt nõ rẽ factam illi recẽsere, sed fictam scribere videantur: qua ferunt Prometheum in cælum ascendisse, & ignem Iouis ira mortalibus ablatum, in terras ferula deportasse, hominibúsque, siue ad suos vsus tradidisse. Quod Plato, & post Platonem multi alij ita explicant, vt à Poëtis & Philosophis non fictam fabulam, sed obscuratam historiam facilè intelligere possimus. Nam cùm ille facillimam philosophandi viam inquireret, & spe multa cognoscendi teneretur, cũ ex opinionibus iam singula disputari, non ex rationum momentis æstimari videret, primus cœpit, & in communi vita non solam consuetudinem, & in philosophando, aliorúmque scripta euoluẽdo, non authoritatem nudam, sed multò magis Dialecticam, id est, ipsam rationem considerare. † Inde longo vsu, longáque consuetudine doctus, primùm de definiendo, diuidendo in partes, de rerũ ordine cõstituẽdo, prĩcipia dicitur mouisse, breuibúsq; monitis mirabiles sapientiæ fontes aperuisse: vnde à Poëtis artificiosam Vulcani & Mineruæ pariter cũ igne sapientiam de cælo clepsisse dictus est. Hic primus est, quantùm ex veterum libris colligi potest, qui diuinam illam animi dotem, à Deo Opt. Max. hominibus simul cum vita traditam ex tenebris in lucem protulit, & in puerorum non tantùm sermonibus, sed in animis etiam penitus infixit, & ad omnem vitæ vsum accommodare docuit. Post hunc apud Græcos, à quibus quasi per manus, nobis artes sunt traditæ, longis tamen tẽporum interuallis, Zeno Eleates hanc artem ita mirificè amplexatus esse dicitur: vt ei (quod fortasse veterum monita primus in scholam attulisset, aut in quandam artis speciem redu

Prioris partis tria cap. 1. de auth. dial.

†Prometheus cœli & terræ, siue Iani & Vestæ aut si mauis, Noëmi & Titeę filius fuit. Berosus 2. lib de genealogiis primor. Ducum.

† Ram⁹, anim. 1.

reduxisset, atq; in his adolescétes exercuisset) huius īuenti onis laudem quidam attribuerint. Hippocrates verò Zenonis æqualis, aut ei' succrescēs ætati, quę tū de dialectica reperta erant vsu maiore confirmauit, aliáque de argumentorum generibus & modis breuiter adiūxit,

Postea Plato, veterum inuenta diligenter exercuit, sapienter docuit, & multis partibus amplificauit: nec vllū ferè argumenti genus est, de quo non aliquid obiter prçceperit: tantíque hanc artem fecit, vt omnium artium reginam, deáque diceret, & eam nouis perpetuò laudibus afficeret: cui' īdustria, vt in reliquis artib', sic in hac, si veterū inuēta, cōseruata nō essent, meo quidem iudicio penitus intercidisset, tótq; philosophorum laboribus & inuentis priuati, dialecticam descriptam nullam haberem' cuius vim & vsum ad omnes vitę partes accommodatum, à Prometheo repertum, à Zenone traditum, ab Hipocrate multis scriptis confirmatum, à Platone amplificatum, Dei primum beneficio, Platonis diligentia & studio retinemus. Multi sunt post Platonem qui de Dialectica scripserunt, inter quos vnus Aristoteles singulari & propè diuino ingenio, à quo de dialectica quędam ita tradita sunt, vt non artem vnam conficere, aut dialecticæ prçcepta separatim, vt debuit, tradere, sed multas, vt eius libri testantur, simul confundere, aut saltem perfectū disputatorem & in vtrūq; paratum instituere, nō artē suis prçceptis describere, & proprijs finibus concludere voluisse videatur: cuius authoritati cum tantū superiorib' seculis tribueretur, vt quasi pro numine coleretur, neglecta naturali illa & vera disserēdi cōsuetudine, neglectis maiorū de dialectica prçceptis, placuit altercādi doctrina Aristotelis primum, tum Grçcorum libris descripta, & magis ad grçcam illam vanitatem efficta, quàm ad sui exemplaris similitudinem efformata, vt mirum non sit, tam confusam, & tot inuolucris implicatam in maiorū quorumdam animis non constantem & apertam ratiocinandi doctrinam fuisse, sed mirū sit tot seculis intermortuam

tuam

tuam,tandem aliquando paucorum ſtudijs reuixiſſe, & ex tantis tenebris in lucē prodijſſe. Sunt tamen apud Ariſtotelem multa, neque enim debitus honos detrahendus, ſicuti neque falſus affingendus: ſunt apud græcos authores multa vtilia & laudāda de Dialectica pręcepta, ſed nullo ordine tradita, tot nugis, tot tenebris implicata, vt nulla artis forma, nulla ferè dialectici luminis ſcintilla apparere poſſit. Ab his infiniti penè ſunt, qui de eadem re ſcripſerunt, ſed quos non exiſtimo aliquid præter græcos illos attuliſſe, imouerò quę ſatis cōfuſè abillis ſcripta erāt deprauaſſe, & pro dialecticæ quadam vmbra quę ſupererat, Sophiſticam introduxiſſe, de quibus ſuo loco in artis explicatione dicemus. Ad ſecundam partem veniamus.

Secūdū caput prioris partis de dialecticę pręſtantia.

Præſtātia & dignitas tāta eſt, vt facile verbis nō poſſit explicari. Siquidē in artes intuenti, ſimilis videri ſolet illarum omnium chorus, atque orbis ille quem multis luminibus conſpicuum, ſtellis, tanquam facibus illuſtratum cernimus. Vt enim in illo magna luminis eſt diuerſitas, in ſtellis quidem minus, in luna maius, in ſole maximum, ſic in artibus magna eſt diſſimilitudo, atque vt illic magnitudine et ſplendore ſtellę inter ſe ſunt diſpares, ita hic amplitudine, vtilitate, perſpicuitate, artes īter ſe ſunt diſpares & diſtinctę. Vna eſt veluti in orbe illo ſol, quę & cæteris lumen ſuum fœneretur, & facilitatem largiatur, quam ego dialecticam verè poſſum appellare, quę (ne à ſimilitudine propoſita noſtra diſcedat oratio) vt īter aſtra ſol, ita in artium liberalium choro, ſola non ab alijs opē & lumē petere ſed reliquis hoc neceſſario egentibus condonare, non aliarum beneficio (ſi implicata ſit) ſeſe explicare, ſed perturbatis & confuſis alijs ordinem & diſpoſitionem præſtare ſoleat. De qua omiſſis veterum teſtimonijs (quorū alij reginā artiū, alij ſcientiā ſciētiarū eam nominār, verè poſſum confirmare, tantam eius præſtantiam tantámque vim eſſe) vt ſine ea nemo doctus, nemo bonꝰ eſſe poſſit. Quod ſi cui mirum videatur, repetat ille mecū qui dialectici fuerint, & qui ſine dialectica vixerint, reperiet

riet profectò ignaros & imperitos huius artis toto cælo in moralibus, physicis, omnibus omnino literis aberrasse, reliquarúmque rerũ imperitissimos fuisse Quid enim Epicurus? quid Epicurei omnes? quid illi de Deo, quid de mundo, quid de rerum omnium ortu & procreatione sentiunt? Deum mihi credite, Dei prouidentiam dialecticæ, id est, rationis expertes sustulerunt, ridiculámque, & omniũ Philosophorũ disputationibus vexatam & agitatam rerum compositionem constituerunt. In reliquis autem rebus, tam rudes fuerunt, vt omnium conuitijs lacerarentur, nec in scholis aliorum philosophorum audirentur. Contra verò qui hac prediti fuerunt, tantum reliquos superarunt, quãtum lumine dialectico excelluerũt. Quod si ne illud quidem quis existimet, Platonem, Aristotelẽ, Ciceronem reliquósque præstantes viros intueatur, quanti illi fuerint, cogitet: tanti certè dialectica facti sunt: quod de his omnibus facile possum confirmare. Quid enim in Platonis libris præstantius, quàm cùm disputatio cum aliquo suscipitur, primum illud de quo questio est definitur, tum vt in disputatione vitetur obscuritas, si multiplex est diuiditur, singulæ quæstionis partes omnibus ferè argumentorum generibus ita tractantur, tam venustis similitudinibus illustrantur, vt quæ difficillima fuerant ista tractatione popularia & facillima reddantur? Quid inquam hoc vno in Platone eximius? hoc (ita me deus amet) si ex Platonis libris exemeris, Platonis vmbram reliqueris, Platonem ipsum sustuleris. At totum hoc dialecticæ non solùm proprium est, sed ipsa pene dialectica est. Quid Aristoteles? anne quidquam in tanto Philosopho acumine illo præstantius, quo & veterum inuenta ĩgeniose refutauit, multa ipse excogitauit, solum se ferè omnium artium parentẽ & authorẽ ostendere voluit? Quid, vt reliqua prætermittam, hoc in Aristotele præstantius? at qualecumque esse potest, totũ dialectica tribuit. De Cicerone autem possum id pluribus qui quantus in Curia, quantus in foro, quantus in ro-

ſtris fuit,tantus certe huius artis beneficio cum eloquẽtia coniunctæ fuit. Quid enim eſt in quo populus oratorem laudibus in cælum tollere ſoleat, ipſemet orator triumphet & geſtiat,niſi cum ita dicit, vt apertè quid dictum ſit,quid dicẽdum ſuperſit populus intelligit? Hac vna re & dicenti & audiẽti conſulitur,dum illi ſolatium comparatur,huic iſto modo tædium tollitur. Quid porrò eſt in quo oratori dicenti populus applaudere, voce,oculis, geſtu lętitiam indicare:aut ſummatim ad dicentis nutus ſeſe accommodare ſoleat, niſi cum tota quęſtione diſtributa ſingulæ partes argumentis & ſimilitudinibus accommodatis ita explicantur, vt qui audiunt,non iam audire, ſed in rem ipſam introſpicere,non cogitatione quod dicitur comprehendere, ſed ob oculos habere videantur? hoc quantum in Cicerone fuerit, quanti Cicero id fecerit, in tot orationum voluminibus ſatis indicauit, cum totus in eo ſit.In reliquis autem oratoribus,ſingularibus verbis illud commendauit,Hortenſiúmque,cuius ea laus propria fuit,imitatus breui ſuperauit,qui ſolitus erat totam cauſam in digitos diuidere, tranſitione quid dictum eſſet indicare,& quid dicendum ſupereſſet propoſitis digitis oſtẽdere. Hęc autem omnia ex vno atque altero dialecticæ riuulo deriuata, nunquid ipſius fontis videntur eſſe propria? Sed de priore ſatis multa:quod ad alterum vix equidem fieri poteſt,aut omnino non poteſt,quod antea verbo tenus attigeram,vt ſine ea quiſquam bonus ſit. Quod ne mihi longa exemplorum inductione ſit demonſtrandũ (prolixitatis enim crimen non effugeret oratio) hoc vno ſatis confirmari poteſt,quod dialectica, ſublatis etiam cæteris,homines ad Dei cognitionem maximè excitãtur,dũ orbium cæleſtium mirabilem ſtructurã, mundi reliquarúmque rerum quæ in eo ſunt, diuinam & quæ ſenſibus humanis comprehendi non poſsit, creationem intuentur & admirantur.Hãc enim ſimul cum vita exiguã quidem, ſed quę poſtea augeatur,nobis Deus optimus, maximus ingę-

Diuinatione prima in Bruto

ingeneraſſe videtur, vt hac poſitis ob oculos tãtis operibus, ad eorum creationem intelligendam, alioqui cupidi excitaremur, quam vbi aſſequi non poſſemus (imbecilli enim ſenſus ſunt) diuino numine, ratione ſic poſtulãte, non fortuna, confecta omnia cogitaremus: nec cogitaremus tantùm, ſed & crederemus, atque in eum locum Dialectica, id eſt ratione adducti, diuinum illum authorem ſuſpiceremus, in ſpiritu & veritate ſicuti debemus, adoraremus. Quæ quidem Dialecticæ laus, non ficta, ſed vera, non aliunde petita, ſed ex ſua natura deducta mihi videtur. Prætereo hîc reliquas artes, quarum ſine Dialectica nulla laus eſſe poteſt. Quod enim Poëtæ, quod oratores, vt alios omittam, ſuis artibus attribuunt, vt illi carminibus:

Sic enim Horatius: De arte poëtica.

Siluestres homines ſacer, interpréſque deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidóſque leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quô vellet. Fuit hæc ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis.
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis.
Oppida moliri, legéſque incidere ligno.
Sic honor & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit.

Hi verò eloquẽtia diſperſos homines primũ ſe cõuocaſſe, cõuocatos àb agreſti & ferino cultu ad humaniorem traduxiſſe dicantur: ſic enim Cicero. (Primo de Oratore.) Quæ vis alia potuit aut diſperſos homines vnum in locum congregare, aut à fera, & agreſti vita, ad hunc humanum cultum, ciuilémq; deducere, aut iam conſtitutis ciuitatibus leges, iudicia, iura deſcribere? Quod inquam, illi de ſe, & ſuis artibus aſſerunt, poſſum, & verè quidẽ poſſum ab illis remouere, totũ Dialecticę tribuere, cũ ſi ex illis Dialecticã ſuſtuleris,

hæc

hęc ridicula loquacitas potiùs quã eloquẽtia: illa verò furor & perturbatio mentis, potiùs quàm alio nomine sit appellanda. Sed de secunda parte satis. Tertius locus superest de vtilitate, quam eiusmodi esse arbitror, vt non ingenuos tantùm commouere, sed ignauos etiam ad spem tantorum præmiorum posſit excitare. Ea enim mihi vidẽtur, quæ nemo, quamuis summo ingenio, summáque doctrina, non dico dicendo complecti, sed ne numerando quidem persequi posſit. Quid enim excellentius, quid ipsa hominis præstantia dignius, quàm cum de re aliqua interrogatus, aut si mauis, à nullo ad dicendum inuitatus, sed sua sponte excitatus, ita dicit, vt nihil alienum, nihil perturbatum & confusum, nihil nisi certa & constanti, aut saltem aliqua ratione probatum in eius oratione reperiri, superfluum nihil tolli, necessarium nihil addi posſit? Quid autem perfectius, quàm in reliquis, quàm bene, quàm cõstanter & verè, quàm propriè & suo loco, quo ordine singula dicantur, & quibus rationibus confirmentur, animaduertere: & alterius non solùm orationis, sed & ingenij & iudicij sincerum se ęstimatorem posse præbere? Diuinum, mihi credite, illud est, & quo in hominum vita præstantius esse nihil posſit.

Tertiũ cap. de vtilitate Dialecticæ.

Quòd si quis eiusmodi reperiatur (reperiũtur autem tot, quot Dialectici sunt) is à Deo aliquo fictus, non ab homine factus videatur. Fructus igitur hic ex bene percepta & diligenter exercitata Dialectica duplex est, cùm in nostris dictis, factis, scriptis & cogitationibus, tum in aliorum quoque, quos aut audire, aut legere, aut quibuscum viuere possumus. Singula hæc si perinde atq; sentio, possem explicare, perfecturum me pollicerer, vt fructus hic ob oculos positus & tardos excitaret, & promptos per se ad rem gerendam promptiores & alacriores redderet. Neque verò in illis duntaxat totus est, sed in omnibus rebus tantus, vt cogitatione quidem comprehendi, verbis autem (ingenuè enim fatendum est) quãtus est, non posſit explicari, posſit tamen aliqua ex parte il-

luſtrari. Sumat igitur aliquis aut in Medicina Galenum, aut in Theologia Hieronymum, Chriſoſtomum, aut in alia arte quemuis alium, videat quis titulus, quod authoris inſtitutum, Dialecticæ vſus hac in parte is erit, vt omnibus ſubductis, & diligenter æſtimatis authoris mentem nullo negotio intelligat, quàm accommodatè ſingula dicãtur, apertè videat, aliena multa, & legentibus moleſta mille tenebris aliquando implicata tollat, aut ſaltem prætermittat: omnia denique ad inſtitutum authoris reuocando, & analiſi Dialectica æſtimãdo, faciliora & explicatiora quàm ſint, ſi volet, efficiat. Hoc quantum ſit, quàm non modò vtile, ſed etiam neceſſarium, ſciunt ij, qui in doctorum virorum lectionibus aſsiduè verſantur.

In Geneſi autem idem ferè eſt, & æquè neceſſarius, cùm non iampropoſitum opus inſpicere, ſed ipſimet nouũ fingere & efficere volum⁹. Quæſtionẽ igitur quis ſibi propoſuerit de re aliqua, huius artis ope adiutus, & facilem ſe legentibus & audientibus præbebit, confuſam loquacitatem vitabit, digreſsiones niſi accõmodatè & doctè nullas adhibebit, hominem denique & Dialecticum, id eſt, naturalis iudicij, non fucati, ſed ſimplicis & aperti participem ſe eſſe demonſtrabit. Etenim id quod ſumpſerit, primò explicabit: idem ſi multiplex eſt, partietur, ſingula partitionis membra quo ordine propoſita fuerant, perſequetur. Efficiet denique, vt alienum nihil reperiatur, & ad quæſtionis propoſitæ faciliorem explicationem neceſſarium nihil requiratur Sed vereor, ne dum tantum tantæ artis vſum volo amplificare, ampliſſimum alioqui, dicendo videar extenuare: & artium, rerúmque omnium communem, quibuſdam duntaxat effingere, cæteris verò denegare. Conſtat eiuſmodi eſſe, vt ſi eum ſuſtuleris, non tantùm in artibus omnia corruperis, ſed communem viuendi rationem peruerteris.

Dictum eſt hactenus à nobis, Auditores, de Dialectica, ſi non tam magnificè, quàm pro artis prǽſtantia, & dignitate Secũda pars

gnitate

gnitate dici debuit, at quàm accuratè à nobis fieri potuit.

Restat vt de altera parte dicam, & consiliũ meum in ista professione vobis explicem & aperiam. Ego cum superioribus proximis annis ex Academia Parisiensi in hanc ab optimo & doctissimo viro simul de me bene merito Bartholomæo Alexandro euocatus essem, propositũque mihi onus plus diligentiæ quàm ingenio, minus doctrinæ quàm labori & studio confisus lubens suscepissem, in eo ita neruis omnibus contendi (verbo absit inuidia) vt operam meam si nõ omnibus, at saltem quibus oportuit, probarem, & ex his laboribus fructum aliquem ipse reportarem, quo incensus, & ad maiores labores cum maiori studiorum meorum commodo perferendos excitatus, oblatam istam prouintiam propositis ante difficultatibus, quæ mihi subeundę essent, recepi: faxit Deus vt receptam ita possim administrare, vt eorum primùm á quib⁹ mihi commissa est, opinioni respondeam, meorum voluntati & industrię satisfaciã, mihi denique ipse toto isto tempore nulla in parte desim. In qua quod meum consilium, quę ratio rei gerendę sit, intelligite. Nobis huius Academiæ legibus triennium definitur, quo distinctæ & separatim tres Philosophiæ partes doceantur, eo modo, vt primus ãnus dialecticæ, secundus Ethicæ, tertius Physicæ attributus sit. Sed de his alias, de primo tantum nobis hoc tempore dicendum. Dialectica igitur hoc anno sic à nobis explicabitur, sic in ea adolescentes exercebuntur, vt consequentibus studijs antecedentium nulli fructus amittantur, sed omnes augeantur. Non enim (vt superiori seculo) abiecta omni purè & propriè loquendi cura, damnata styli & orationis pristina diligentia, poetarum & oratorum lectione interdicta, in altercationes & clamores scolę adolescentes nostri cõiicientur, vt tandem grammaticæ & Rhetoricæ studijs longa obliuione deletis, pro puro & nitido sermone, barbarismos & solœcismos facere, pro suaui & ornata oratione, spinosum aliquod, & ieiunum sophisma latrare cõsuescant: sed multo magis, vt si epistolam

Iam facere,elegiam cõdere , rem propoſitam ornatè pronunciare antea didicerint, non modò hæc eadem retineant, ſed ampliora multò & vberiora exhibeant. Non modo Poëtæ & Oratores non remouebuntur, ſed cum Dialectica ſic explicabuntur, vt & in his Dialecticæ vſus exprimatur, ipſa verò Poëtarum & Oratorum ornamentis ornetur & veſtiatur, & grauiora ſtudia leuioribus & iucundioribus adiunctis,faciliora & gratiora reddantur.

Vt enim pueris abſinthia tetra medentes,
Cùm dare conãtur(vt Lucretij verbis vtar) priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci,flauóque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus,interea perpotet amarum
Abſinthij laticem,deceptáque non capiatur,
Sed potiùs tali facto recreata valeſcat.

Sic Poëticæ, Rhetoricæq; veneres cum Dialectica coniũctæ Dialecticæ ſtudiũ,alioqui per ſe rude & aſperum, nõ ſolùm gratiùs & amabiliùs efficiẽt,immo verò lõgè commodius & ſuauius efficient. Nónne vt antea moleſtiſsimis ſpinis debilitati, inanibus clamoribus fracti, perpetua rerum obſcuritate deterriti , amorem philoſophiæ deponebant,ita in iſta coniunctione ſuauiſsimis rebus illecti , liberalibus exercitationibus confirmati, clariſsima luce inuitati, cum omnib⁹ modis ſe & doctiores, & diſertiores quotidie fieri ſentient, incredibili voluntate omnes vigilias tolerabunt? Non ſibi,mihi credite, negotium exhiberi,ſed otium condonari, non laborẽ imperari, ſed delectationẽ comparari iudicabũt. Itaque vt ad vos quos vectores ſũ habiturus noſtra cõuertatur oratio, colligite animũ & ad iſtam nauigationẽ vos cõparate: danda ſiquidem vela ſunt. Ac ne ex vobis quiſquam itineris ignar⁹ rerũ difficultate(quã ipſe ſibi propoſuerit) perterreatur, ſed multo magis vt alacrior reddatur,nulli tota nauigatione venti, nullæ procellæ,nulla pericula me gubernatore ſunt pertimeſcẽda. Etenĩ ſi quid difficultatis

tatis

tis & obſcuritatis in Ariſtotelis organo fuerit, vt eſt certe plurimum, dialectico lumine illuſtrabitur, ſi alienũ quid, vt multa ſũt, id remouebitur, aut leuiter attingetur, ſi ſpinæ ex Dialectico agro detrahentur, & euellentur. Tanta autem voluptas in ipſo curſu eſt expectanda, vt ĩmortales eſſe velitis, quò iſta cõditione perpetuò frui poſsitis. Poëtas enĩ & Oratores in Dialectica ſumus habituri, in quos diſcurramus, in quib' Dialecticã noſtrã exerceamus, ex quorum hortis fructus eos reportare licebit, qui & ad reliquam vitam accommodari, & præſentes labores conſolari poterunt. Quid multa? Ad eum tandem portum ſumus appulſuri, in quo beati quieſcere, & pacita tam cupidè præmia (de quibus antè dixi) recipere poſsimus. O nos beatos & fœlices! O expetendam in iſta voluptate viuendi conditionem! Poteſtne quiſquam melius, & humano generi commodius, non dico ornare dicendo, ſed aſſequi cogitando, quàm vt quis vitam ſuam ita inſtituerit, ita apud ſe omnia ſubduxerit, vt quæ fortuitò eueniunt, aut nihil, aut parum lædant, quæ per ſe & manifeſtis cauſis nullum dolorem afferant? Hæc vna Stoicorum ſapientia, quam nobis iſta nauigatione comparaturi ſumus, hic portus, hoc iudicium, hæc ratio, à qua diligenter & bene inſtituti, & præterita colligere, futura multò antè proſpicere, præſentia recto tenore, ita dirigere poterimus, vt in vtrámq; aurem ſecuri dormiamus.

Quamobrem, cùm tanta præmia ſint, curſus non ſolùm facilis, ſed pleniſsimus voluptatis, peto à vobis, & quæſo, vt veſtra diligentia meis laboribus reſpondeat: ego verò vobis polliceor & promitto, neq; mihi in iſta prouincia gerenda diligentiam, neque in perferendis laboribus induſtriam, neque in veſtris commodis augendis gratam animi beneuolentiam defuturam.

DIXI.

PETRI VERDAVENEI ORATIO DE PHILOSOPHIA MORALI HABITA 13. CALEND. NOVEMB. IN AVLA PATRICIANA. 1555.

COGITANTI mihi, & sæpius animo repetenti quæ primis temporibus rerumpub. fuerint initia, quis in ordine singulis describēdo labor, quod quantúmq; negotium exhibuit legūlatorib^9 legum describēdarum ratio, mira quadam mihi prudētia opus fuisse videtur, cū in rustico populo ad cultum ciuilem ex agresti reuocando, & in reuocato iam in officio continendo, tum verò in prospiciendo quî status ille reipub. ex animi sententia constitutæ esset diutissimus, & ciuibus vtilissimus: quorum quædam cùm ex antiquis legunlatoribus plerique legibus & ciuium institutione sint consequuti, singula tamen nulli ferè sunt assequuti.

In quo singularis & propè diuina maiorum nostrorum sapientia videri solet, qui rempub. literariam ita instituerunt, vt non tantùm diuturnitate temporis duas præstantissimas respub. Lacedemoniorum & Romanorum videatur adæquasse, sed longo interuallo superasse, & tamen in ipso ætatis flore consistere, imo verò in dies etiam augescere. Quòd si illi reuiuiscerent, non ab se traditā, sed à Deo aliquo institutam, non suis legibus in eo statu

positā, sed Dei cuiusdam beneficio amplificatam & conseruatam putarent, ita sunt progressu tēporis omnia immutata, vt pro barbaris, quos illa ætas habuit, disertissimos, & eloquentissimos, pro imperitis, omnis ætatis, & in omni genere doctissimos sint visuri, & se beatissimos iudicaturi, à quibus ista initium sumpsissēt, & quibus authoribus hoc adhuc tempore vigerent. Cuius rei causas cùm in philosophia (vt de alijs artibus taceam) tacitus apud me requiro, duas inuenio potissimū m fuisse, & quòd ea nobis tradiderint, quæ optima habuerūt, à melioribus si reperirentur, non interdixerint, quibus suo tempore caruerunt. tum quòd ea quæ ad vltimum finem, qui legunlatoribus semper versari debet ante oculos, recta via tenderent, nobis imperarunt, qui cùm sit omnibus beata vita, si philosophia comparari nō potest, quî haberi possit non video. Itaque illi singulari quadam prudentia præmissis dicendi studijs tres eas artes triennio percipiendas, reliqua ætate exercendas adolescentibus proposuerūt Dialecticā, Moralē, & Naturalē, quarum postrema ex rerum naturaliū mirabili ortu, varietate, cōseruatione, primam causam, & opificem mundi, Deum Opt. Max. inuestigare & agnoscere: altera, qua cognito, & quodammodo percepto quæ grata essent, agere, & ad illud suum exemplar se totos conformare: illa verò de eo piè sentire, & de reliquis rebus constanter & sincerè iudicare & æstimare possent: quæ recta ad beatam vitam via est. De quibus cùm pro vetere illorum instituto, tum huius academiæ consuetudine liberaliter institutis, & diligenter exercitatis adolescentibus separatim dicendum sit, & superiore proximo, atque altero anno de Dialectica non ex Arist. Logicis tantùm, sed ex naturalis vsus obseruatione in præstantibus ingenijs, copiosè satis dictum sit, de Morali nobis est hoc tempore dicendum.

Duæ causæ bene institutæ rei pub. literariæ.

Vera dialecticæ, naturalis, & moralis vtilitas.

Atque vt in toto disputationis nostræ cursu, & vos habeatis in audiendo, quod sequamini, & nos in dicendo, in quod semper intuentes à proposito minùs aberremus,

tria ſunt,quibus tota concluditur. Primùm duplex eſt, & quid Moralis philoſophia, & quæ ſit eius præſtantia: de quo priuſquam dicatur, hæc à vobis exoranda venia eſt, Aud. vt qua facitis attentione & beneuolentia reliqua audiatis: quod ſi à vobis impetratum videro, contendam, mihi credite, vt neque veſtra in audiendo patientia abuſus eſſe, neque ambages nexuiſſe, ſed de propoſita quæſtione non ex meo tantùm ſenſu, at ex ſummorum Philoſophorum iudicio dixiſſe videar. Quòd igitur ad primam partem attinet, quid illa ſit, ſi fieri poteſt, inueſtigemus: de præſtantia poſtea dicemus.

Summa totius diſput. partitio

Primi cap. duæ partes.

Prior

Aurea ætas.

Auream ætatem primis ſeculis Poëtæ, non fictarum rerum, vt quidam exiſtimant ſcriptores, ſed factarum, vt ita dicam, perſonatores, nobis deſcribunt: in qua integrę, nec adhuc deprauatæ naturæ lumine homines regerentur, latas leges non haberent, naturam optimam viuendi ducem ſequerentur, magiſtratuum edictis carerent. Sic enim Ouidius:

Primo Metam.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege, fidem, rectúmque colebat,
Pœna metúſque aberant, nec vincla minacia collo,
AEre ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.
Nondum cæſa ſuis peregrinum vt viſeret orbem
Montibus, in liquidas pinnus deſcenderat vndas,
Nulláque mortales præter ſua littora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat, ſine militis vſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes,
Ipſa quoque immunis, raſtróque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus.
Contentíque cibis nullo poſcente creatis,
Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant,
Cornáque & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Ver erat æternum, placidíque tepentibus auris
Mulcebant Zephiri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renouatus ager grauidis canebat aristis,
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauáque de viridi stillabant illice mella.

Et Virgilius:

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni,
1. Geor. Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant, ipsáque tellus
Omnia liberiùs nullo poscente ferebat.
Ille (malum) virus serpentibus addidit atris,
Prædaríque lupos iussit, pontúmque moueri,
Melláque decussit folijs, ignémque remouit,
Et passim riuis currentia vina repressit.

Quæ etsi fabulis similia videntur, continent tamen veram historiam. Cùm enim principio rerum, gentium, nationúmque res omnes si non possessione, at saltem eorum, qui viuebant, liberalitate, sicut indicat Lactantius, (Lib. 5. cap. 5.) vsu communes essent, nihil priuatim quisquam haberet, egentibus quisque pro facultate opem ferret, regnorum etiam fines tueri magis, quàm proferre mos esset, suóq; contẽtus quisque viueret, neque furta, neque direptiones non vi, aut dolo illatæ iniuriæ, non homicidia, nõ eius generis infinita audiebantur: peccandi causæ abfuerunt, dum quisque insitam à natura viuendi regulam obseruaret, & vere quidem tum

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauáque de viridi stillabant illice mella,

cùm Ninus Assyriorum rex, Iouis Belli filius, & Saturni Babilonici nepos primus finitimis bella inferre, fines imperij dilatare, & humanam societatem labefactare cœpit: vnde vitiorum omnium semina, ambitio & auaritia, homines ita progressu temporis corruperunt, vt nõ iam diuinæ suæ generationis meminisse videantur, dum in caducis rebus toti noctes diésque occupantur, sed in pecu (Xenophon in æquiuo. Iustinus libro 1.)

dum

dum naturam transiisse: meritò igitur de illo Poeta:

Ille(malum)virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos iussit,pontùmque moueri.
Melláque decussit folijs ignémque remouit.
Et passim riuis currentia vina repressit.

Ab illo enim reges quos antea ad fastigium tantæ dignitatis, non ambitio popularis sed spectata, inter bonos moderatio, non maiorum dignitas, aut relicta hereditas, sed virtute comparata authoritas prouehebat, comparata potestate inuitis ciuibus imperare, ad se omnia transferre,armis,non æquitate in suam seruitutem populos subiicere, pro libidine omnia gerere cœperunt, ad quorum vitam composita tandem multitudo, quales enim principes,tales esse solẽt reliqui ciues, à vera illa & naturali viuẽdi regula in omne scelus deflexit, & datos virtutis igniculos, qui ad beatã vitam satis esse potuissent, vitiosa consuetudine, praua institutione extinxit, aut potius suffocauit. Sed quorsum? dicet aliquis, vt intelligatis esse per se & ex sua natura in humanis actionibus aliquid honestum, non opinione tantùm & cõsuetudine,quibus hodie fieri pene omnia videntur, quod ab antiquis illis nulla opinione imbutis sit repetendum, & quod qui sequutus fuerit, bene quidẽ meo iudicio vixerit, & ad naturam, & dei institutionem accommodatè Itaq; legunlatores antiqui, in quibus diuini illius luminis plus fuit, quum deprauatam iã consuetudine multitudinem ad aliam vitæ formam, quàm magis probarent, & quam meliorem, & antiquæ illi conuenientiorem iudicarent, reuocare voluerunt. legibus vt fingebant à Deo aliquo acceptis,vt diuina authoritate populus contineretur, quantum quisq; potuit ad naturalem viuendi formam sua sententia proximè accessit. Imperant enim singuli religionem, licet aliquando falsam & impiam,imperant æquitatem virtutésque omnes: in quo & si plerique à fonte illo naturali plurimum recesserunt institutione iam aliqua corrupti, riuulos tamen quosdam

Quales primis tempori b' reges.

Quales pricipes tales reliqui ciues

Consuetudo & opinio.

ſinguli ſuis ciuibus aperuerunt, qui cùm eſſent temporis progreſſu populo grati & accepti, in viuendi conſuetudinem & morem tranſierunt, ſingulisque ſic legibus inſtitutis, moralis philoſophia fuit accõmodata ad ſuas leges viuendi doctrina, quæ quantùm à legibus naturæ abfuerunt, tantùm illi in viuendi forma, à naturæ inſtitutione receſſerunt. Ex quibus(credo)ſatis intelligitis Aud. bene deſcriptam moralẽ philoſophiam, doctrinam eſſe bene viuendi ex obſeruatione præſtantis illius, & nondum deprauatæ naturæ collectam, quæ qualis fuerit ex aureo illo ſeculo diligentius apud ſe cogitãti facilè apparebit & certis rationibus colligere licebit. Etenim cùm ſui ipſius cauſa homo non ſit, nec ſeipſum generauerit, ſed ſit ſuperioris alicuius effectum, à qua mentem rationis participem habet, cuius beneficio primam illam ſuæ originis cauſam, ſi non perfectè cognoſcere, at ſaltem aliquam eſſe, intelligere poteſt, æquum eſt vt in reliquis rebus, ſic in hac effectum cauſæ obtemperare, & hominem Deo Opt. Max. vt reliquarum rerum, ſic animationis ſuæ authori obedire: hæcq; ue prima eſt in hominis mente inſita notio, ad quam ſi ſe conformarit, ſuẽ cauſæ quantùm fieri poteſt ſimilem ſe eſſe oportere intelliget, & tantæ excellentiæ imaginem quandam repreſentare. Quæ cũ ordinẽ certum & conſtantem in omnibus rebus teneat, ſingulari liberalitate quæcunque genita ſunt, nutriat, & foueat, turpia apertè ſatis à ſua natura aliena eſſe oſtendat, ſi ſibi tãtam fœlicitatem homo nõ inuidebit, & in ſe planè iniquus non ſit, ad ſocietatem æquitate & beneficentia conſeruandam ad ſocietatis gradus & ordines obſeruandos, ad honeſtatis ſtudium imitatione ſui exemplaris ſe eſſe natum facilè indicabit, idque agere, id eſt neminẽ iniuria lędere, officijs quos poſsit iuuare, æquitatem tum erga ſeipſum vt animus imperet corpori, ratio appetitui, tum erga alios retinere, & in perſonarum diſtinctione, & rerum æquali commutatione: id inquam agere, eſſe ſecundum naturã viuere, conſcientia, non vitioſa opinione, non aliqua con-

ſue

ſuetudine imbuta, ſibi teſte, apertè videbit, quæ in homine diſtinctionem honeſtorum & turpium ſatis explicat, cùm improbi nullo perſequente, ſemper agitentnr, ſeipſos oderint, recordatione factorum crucientur, nullo loco ab hac moleſtia liberi ſint: boni autem ſummam ex factis & anteacta vita voluptatem percipiant. Adde verò ſnperioribus naturalem procreationis apetitũ, certo modo ordinatum ad ſpeciei conſeruationem, non ad effuſã libidinem, cùm ſi quis ſit ad voluptates propenſior, modò non ſit ex pecudum genere (ſunt enim quidam homines, nôn re ſed nomine) ſi quis eſt paulò erectior, quãuis voluptate capiatur, occultat & diſsimulat appetitum voluptatis propter verecundiam. Ex quo intelligitur voluptatẽ corporis non ſatis eſſe dignam hominis præſtãtia, eiuſq; fruendæ modum tenendum eſſe, immoderatam contẽni & reiici oportere, aliãque multa ſunt quæ bene conſtitutus animus poſsit videre, ſeq; his & ſuas actiones ad ſimplicem illam naturam dirigere. Quæ ſi cui minus probabitur naturæ inueſtigatio, repetat ille ex antiquiſsimis hiſtorijs, qui hæc (quæ diximus) naturalis inſtitutionis capita obſeruarint, & contrà qui violarint, intelliget profectò & illos nõ ſola hominum de ſe exiſtimatione & nominis commendatione, ſed & Dei Opt. Max. pro fœlici ſucceſſu approbatione rectè egiſſe, hos verò & multitudinis teſtimonio, & iuſto Dei iudicio, quo tandem cum poſteris in ſummas calamitates inciderunt ſceleratè. Quid enim tyranni? An non etiam ipſum nomen odioſum eſt propter crudelitatẽ? An nõ iuſto odio, & eorum quicum vixerunt, & eorum qui hodie in hiſtorijs legunt, tanquã hominum & naturæ hoſtes diris omnibus deuouentur? quorum qui ſanguine ſunt delectati, pari pæna vel à ſuis ciuibus, aut domeſticis ſint affecti: hinc enim.

Voluptas corporis in digna hominis præſtantia

Perditorũ qualis exit.

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni,

aut occulta Dei ꝓuidẽtia hominib⁹ ĩcognita cauſa miſerè cõſũpti. Qui verò paulò mitiores, in fortunas aliorũ ĩua

erunt, effrenata libidine virginũ & matronarũ pudicitiam tentarũt, tentatam, vel vi, vel precario corruperunt, facta rerum suarum iactura, ad summam pleríq; inopiam deuenerunt, & vel suo, vel suorum corporibus luerunt. Quod cũ in multis sit perspicuũ, est certè in Dyonisio iuniore euidentissimum. Qui cùm multa nefariè, multa arroganter, multa libidinosè Siracusis egisset, vrbẽ opibus exhausisset, in Locrensium vrbem veniens (Doris enim ipsius mater, Locrensis erat) maximas ciuitatis domos occupauit, eaśque rosis, serpillis, & alijs id genus floribus, vt AElianus inquit, cum strauisset, Locrensium filias accersebat, & rem cum illis intemperantissimè habebat, cuius flagitij nefandam spurcitiem non impunè tulit. Cùm enim ipsius regnum per Dionem sublatum esset, tum Locrenses vxorem Dyonisij vnà cum filiabus prostituerũt, & sine vlla intermissione prostitutis stuprum intulerunt. Cùm verò libidinem expleuissent, compunctas acubus intra digitorũ vngues interemerũt, ossáq; in mortariis contuderunt, & carnes ab ossibus abstractas si quis non comedisset, eum diris deuouerunt, quod verò reliquum ex ijs fuit, mari demerserũt. Dyonisius autem Corinthi varias vitæ vicissitudines expertus, ob extremam mendicitatem tandem stipem ab hominibus cogendo, tympanaq́; pulsando & modulãdo vitam egit. Quid verò Macareus Mitylenensis, Bacchi sacrificulus? cui singularẽ vultus mansuetudinem & æquitatem præ se ferentj, cùm hospes aliquantum auri commisisset & in eius fidem deposuisset, ille in recessu templi, eruta terra, aurum defodit. Interiecto deinde tempore cũ reuersus hospes aurũ reposceret, tanquam depositum restiturus, hospitem in templum introduxit, & morte affecit, atque effosso auro eum in eius locũ imposuit, & quemadmodum homines, sic deum ipsum facin⁹ latere existimauit: verũ euẽtus logè secus docuit. Cũ enim paucis diebus exactis, triennalis dei solennitas adesset, & ille magna celebritate rẽ diuinam obiret, atq; in ceremoniis occupat⁹ esset, duo filij eius domi relicti

Lib. 9.

Locrẽsium in vxorẽ, & filias Dionisij crudelitas

Dionisij calamitas

Aelianus lib. 13.

patris

patris immolationem sacrosanctam imitabantur, accedē tesq; ad aram paternam ardentibus adhuc holocaustis iunior collum præbebat, adultior verò cùm inuenisset eruginosum ensem, fratrem ad similitudinē victimæ mactauit, cuius facinore cōspecto cū familia vociferaret, mater audito clamore exiliit, interfectumq; vnum cōspiciens, alterum ensem recenti saguine conspersum manu tenentē, arrepto ex altari torre superstitem filium interfecit. Allatum est cædis domesticæ nuntium ad Macaræum, qui relicto sacrificio quàm potuit furentissimo impetu,& iracundia in ædes insilijt, atque tæda quam manu gerebat, vxorē interemit. Scelus in omnes homines euulgatū est, comprehensus Macaræus,& in tormentis examinatus, cōfessus est quæ in tēplo quondam perpetrarat: in ipsis verò quæstionibus vitā amisit, sic suo, vxoris,& liberorū capite meritas pœnas violatæ societatis, & cæsi hospitis luit. Quæ cū ita sint, nec tātùm historiarū testimonio, sed quotidiano penè exemplo cōfirmētur, apparet satis hæc à prima illa causa omniū moderatrice Deo Opt. Max. aliena esse,& naturæ quæ vel ipse Deus est, vel hominū mētib⁹ à Deo insita,& ad eius mētem & voluntatem effīcta bene viuēdi perfecta notio, repugnare,& pro violatis his naturalis institutionis capitibus non tātùm vrbes, nationesq; periisse, sed totū hominū genus aquis deletū primò, eóq; vniuerso diluuio fuisse & hodie eam ob rem occulta causa infinitos perire. At verò quis est qui virorū bonorum, quos etiā nunquam viderit, nomina cum chatitate & beneuolentia nō vsurpet? quem non mouet Socratis in toto vitæ cursu,& in vinculis philosophātis cōstātia? quem nō Aristidis iusticia? quem non Xenocratis cōtinentia? Quis cum voluptate nō legat veterum regum, imperatorū, prīcipum monimenta? quorum quidam omnē operā in eo posuerunt, vt inopem multitudinē sua liberalitate iuuarent, afflictos excitarent,& in pristinam dignitatm restituerent. Quæ omnia cùm legimus, afficimur nescio quo modo, vt facilè vī suam in nobis, licet deprauatis indicet

Natura quid in morib⁹.

Diuinæ prouidētię iudicium.

ipsa natura, qui cum talia præstare non possimus, in alijs tamen approbemus, & cum plausu recte factũ iudicemus. Hoc veræ virtutis robur, hæc vis, Audit. vt ab ĩprobis etiam honestam de seipsa cõfessionem exprimat, & iusta de causa inimicos, amicos & pacatos reddat. Quod AEneæ cõtigit. Capta siquidẽ Troia, vt refert AElianus, cũ græci miserati' captiuorum erũnas, per præconẽ denuntiassẽt, vt singuli ex liberis ciuibus, quod vellent, vnum aliquod ex suis reb⁹ aufferrẽt, AEneas cæteris pro nihilo habitis Deos penates exportauit, Græci cum summa alacritate suspicientes, permiserunt præterea vt ex possessionibus vnum quid aufferret. Ille patrem annis & senio cõfectũ, sublatum in humeros liberauit. Obstupescẽtes hoc facto vniuersas possessiones ei reliquerũt, cõfitentes, inquit, in eos qui pietatem in Deos & homines exercent, quiq; parentes colũt, etiã natura inimicos non posse non æquos & placatos se præbere. Vultis eius generis infinita persequar? me certè potius & dies & oratio deficeret quã horum exemplorum copia. Quid igitur? An non satis intelligitur facta quædã esse quæ impunita nũquã remaneãt, quædã verò quæ suo præmio nõ careant? quæ etsi in vtrãq; partem ab hominibus negligãtur, non fortuitò, sed occultis (vt videtis) causis efficiũtur, vnde luce ipsa clarius ostẽditur, primæ causæ hæc probari, illa verò improbari, naturæ quædam cõuenire, illa verò maxime repugnare. Ex quibus satis apparet à natura potius mentibus nostris nõ dum corruptis, actionum discrimina esse insita, quàm ab hominibus tradita, à naturæ potius antea à nobis definitæ obseruatione & imitatione esse repetita, quã ab vllis legũlatorib⁹ primò reperta. Quod cũ ita sit, constet quod ãte positũ est, moralẽ philosophiã esse bene viuẽdi doctrinã, ex obseruatione naturæ in primis hominibus, aut ijs qui proximè accedunt, & eorũ imitatione collectã. Quod Socrates apud Platonem licet obscurè, aliquot tamen locis sentire videtur, qui philosophiam nõ vt hodie pleriq; in multarũ rerum cognitione positam existimat, sic enim

Actionum discrimina à natura mẽtib⁹ nostris insita.

in amatoribus post longam inductionem: πολλοῦ ἄρα δεῖ ἡμῖν, ὦ βέλτιστε, τὸ φιλοσοφεῖν πολυμάθειάν τ' εἶναι, καὶ ἡ περὶ τὰς τέχνας πραγματεία: sed potiùs õnib⁹ ad Socratis mẽtẽ bene estimatis, in bona actione: cui⁹ doctrinã neq; à sophistis tradi posse, neq; ab aliis doceri existimat, sed Dei grã cõdonari. Sic enĩ in Theage, cũ ille Socratẽ alios sapiẽtiã. id est bene viuẽdi doctrinã docuisse diceret, se itaq; posse, 1. οἶσθα οὖν οἷόν τοῦτο ἐστίν, ὦ παῖ Δημοδόκου? Θε. ναὶ μὰ δία ἔγωγε, ἐπειὰν σὺ βούλῃ, καὶ ἐγὼ οἷός τ' ἔσομαι τοιοῦτος γίνεσθαι, οἷοι περ καὶ ἐκεῖνοι. Σω. Οὐκ, ὦ ἀγαθέ, ἀλλά σε λέληθεν οἷον τοῦτ' ἐστίν. ἐγὼ δέ σοι φράσω. ἔστι γάρ τι θείᾳ μοίρᾳ παρεπόμενον ἐμοὶ ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον δαιμόνιον, ἔστι δὲ τοῦτο φωνὴ ἣ ὅταν γένηται, ἀεί μοι σημαίνει ὃ ἂν μέλλω πράττειν τούτου ἀποτροπήν, προτρέπει δὲ οὐδέποτε. καὶ ἐάν τις μοι τῶν φίλων ἀνακοινῶται, καὶ γένηται ἡ φωνή, ταὐτὸν τοῦτο ἀποτρέπει, καὶ οὐκ ἐᾷ πράττειν. & ad finẽ eiusdẽ dialogi: 2. ἔστιν οὖν, ὦ Θεάγες, τοιαύτη ἡ ἡμετέρα συνουσία, ἐὰν μὲν τῷ θεῷ φίλον ᾖ, πάνυ πολὺ ἐπιδώσεις καὶ ταχύ, εἰ δὲ μή, οὔ. Ex quibus & aliis multis locis, in quibus modo de Virtute, modò de Pihlosophicis ingenijs, modò de auro diuinitus infuso loquitur, & aliis permultis, colligitur, Moralẽ philosophiam bene agendi, & bene viuẽdi doctrinam esse, nõ à quocũq; traditã, nec ex omni cõsuetudine sumptã, sed à Deo hominũ mẽtibus insitã, qui cũ ipsa perfecta natura sit, aut ei⁹ exemplar, sequitur ad naturã esse accommodatam, & si quæ sit hodie, ex eius obseruatione collectam. Et Aristoteles cum de fine optimè constituẽdo loquitur, quo aut ignorato, aut vitiosè asignato, multi erro-

i. Absit igitur, ô vir optime, vt philosophia sit plurima discere, & artes tractare.

1. i. Nosti quale hoc sit, ô Demodoci fili? Theag. Noui per Iouem: si voles enim talis fiam, quales illi fuerũt So. Nõ ita ô optime: sed hoc te latet, quale sit: ego verò tibi dicam. Adest mihi diuina sorte dæmoniũ quoddã à prĩa pueritia me sequutũ. Est verò vox quedã, quæ cũ fit, semp ei⁹ rei, quã factu r⁹ sum, dissuasionẽ innuit, ꝓuocat verò nũquàm. Quod si qs amicorũ mecũ quãdoq; aliqd cõmunicat, venítq; vox, hoc illa dissuadet, neq; facere sinit.

2. Id est, Est igitur ô Theages, huiusmodi nr̃a cõsuetudo. Si enim Deo gratum est, permultũm quidẽ & breui proficies: sin contrà minimè.

Idest Finisque appetitio nō est illa quidem propter se expetenda sed ita facti oēs, institutique esse debent, à natura, vt quasi aspectum quendā habeant quo verè iudicabunt, atque id quod verè bonum est, sequentur. Atque is demū animo bene cōstitutus est, cui hoc munus à natura datum est. Est enī maximum & præstantissimū, quódque nemo nec accipere ab alio posit, nec discere, sed qualecunque à natura tribuitur, tale obtinebit: cuius si summa & excellēs quædam à natura concessa est facultas, id demum perfectum, verúmque ingenium erit.

res in vita consequuntur, ἡ δὲ τοῦ τέλους ἔφεσις, οὐκ αὐθαίρετος ἀλλὰ φῦναι δεῖ, ὥσπερ ὄψιν ἔχοντα ᾗ κρινεῖ καλῶς, καὶ τὸ κατ' ἀλήθειαν ἀγαθὸν αἱρήσεται, καὶ ἔστιν εὐφυὴς, ᾧ τοῦτο καλῶς πέφυκε. τὸ γὰρ μέγιστον, καὶ κάλλιστον, καὶ ὃ παρ' ἑτέρου μὴ οἷόν τε λαβεῖν μὴ δὲ μαθεῖν, ἀλλ' οἷον ἔφυ, τοιοῦτον ἕξει, καὶ τὸ εὖ, καὶ τὸ καλῶς τοῦτο πεφυκέναι, ἡ τελεία, καὶ ἀληθινὴ ἂν εἴη εὐφυΐα. Ex quibus Aristoteles post longuam de virtutibus disputationem, qua prima pars nostræ definitionis continetur, vt bene agatur scilicet, quod in morali philosophia summum est, idest veri finis notionem, non putat ab homine posse doceri, sed à natura singulis tradi, & quale traditū fuerit, tale retineri. Est igitur perfectionis in moribus causa à natura repetenda, & ex eius præceptis & fontibus hauriendū, quod minus ex legunlatorum riuulis fuit suppeditatum, qui cùm ex illa primorum hominum obseruatione satis pateant, ratione, & iudicio nōdū deprauato inuestigari queant (sunt enī singulis à natura tributi igniculi, quos si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret) naturam ipsam bene viuēdi exēplar intentis & apertis si possumus, mentis oculis intueamur, rationem ducē sequamur, in moribus quod optimum est, vel consequemur, aut ab eo minus aberrabimus. Sed de hac parte satis multa, ad aliam veniamus: de qua si minùs copiosè quàm æquum, fit, dixero, quæso obtestorque vos, Audit. ne meæ naturæ potiùs quàm rei magnitudini tribuendum putetis. Quæ enim potest existere tanta vbertas ingenii, quæ tāta dicēdi copia, quod tam diuinum atque incredibile orationis genus

Altera pars primi capitis.

quo quisquam posit veram & germanam tantæ doctrinę præstantiam non dicam complecti orãdo, sed assequi cogitando? quæ primùm dispersos homines vnum in locum congregauit, quæ congregatos ab agresti vita ad humaniorem & ciuiliorem cultum deduxit, quę constitutis ciuitatibus leges, iudicia, iura descripsit, quæ religionem instituit, quæ hominem homini conciliauit, quæ deniq; ex tot artibus sola nos ipsos nobis reddidit, & vt animus corpori, ratio appetitui secundum naturam imperaret, effecit. Quòd si eiusmodi sunt reliquæ artes, in quib⁹ multum operæ ponere debeamus, quod ab ijs aliquod vitæ præsidium, mentis exornationem, aliquod in aduersis perfugium, variam rerum cognitionem nobis comparemus immensum quiddam & infinitum est, quo ad hanc excitari debeamus, & quo coniunctim eius dignitatem deprehendamus. Quid enim aliarum artium studium, quid multarum rerum cognitio prodesset, nisi ad eam bene viuendi doctrina accederet? aut quæ grata rerum externarum tractatio cuiquam vnquam fuisset, nisi quisque priùs internas animi perturbationes hac doctrina composuisset? Et quod ad alias artes attinet, satis sit in vna separatim elaborasse, & ea quam didicerit, contentus ferè quisque, solet reliquas abiicere, aut potiùs suis studiis delectatus, cõtemnere. At omnib⁹ ex æquo necessaria est moralis philosophia, nullâq; pars vitæ neque publicis, neque priuatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare morum doctrina potest, in eáque colenda sita vitę est honestas omnis, & in negligenda turpitudo. Meritò igitur Socrates sapientiam è cælo dictus est euocasse, in vrbes & domos etiam introduxisse, cum coëgit de vita & moribus, rebúsque bonis & malis quęrere, nimis magnũ rerum naturalium studium, & minus necessarium relinquere: cùm si bene volumus æstimare, omnis aliarum rerum cognitio ad hanc sit referenda, & bene beatéque viuendi causa expetenda. Itaque Aristoteles dum quæ sit

Præstantia & dignitas moralis Philosophiæ

summi

summi boni doctrina inquirit, huic reli-

i. ei verò scientiæ quæ quas subijcit: reliquis imperat, maximeq; pstat subiecta videri potest, cuiusmodi est doctrina ciuilis. Hæc enim quæ artes sint vtiles reip. & quas quisq; ciuium discere debeat & quatenus, instituit, atq; etiā clarissimas nobilissimasque disciplinas, vt eloquētiam, vt artē militarē, & domesticā sciētiā huic legibus imperioq; sub iectas videmus. Quod si reliquis artib[9] velut administris vtitur, quarū vis ōnis in actio ne cernitur sācitq; legibus & institutis quæ sint illis faciēda, prohibetq; cōtraria, hæc pro fectò doctrina ciuilis certo fine cōclusa defi nitáq;, reliquarū disciplinarū fines āplexabitur, vt in illo sūmū perfectūq; hominis bonū cōclusū esse videatur.

δόξειε δ' αὐτῆς κυριωτάτης καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικῆς, τοιαύτη δὴ καὶ ἡ πολιτικὴ φαίνεται. τίνας γὰρ εἶναι χρεὼν τῶν ἐπιστημῶν ἐν ταῖς πόλεσι, καὶ ποίας ἕκαστος μανθάνειν, καὶ μέχρι τίνος, αὕτη διατάσσει. ὁρῶμεν δὲ καὶ τὰς ἐντιμοτάτας τῶν δυνάμεων ὑπὸ ταύτην οὔσας, οἷον στρατηγικὴν, οἰκονομικὴν, ῥητορικήν. χρωμένης δὲ ταύτης ταῖς λοιπαῖς πρακτικαῖς τῶν ἐπιστημῶν, ἔτι δὲ νομοθετούσης τί δεῖ πράττειν, καὶ τίνων ἀπέχεσθαι, τὸ ταύτης τέλος περιέχοι ἂν τὰ τῶν ἄλλων ὥστε τοῦτ' ἂν εἴη τἀνθρώπινον ἀγαθόν. Plato verò cū multis in locis, multa de ea magnificè sentiat, modò sapiētiā, modò totius nōīe propter dignitatē philosophiam absolutè appellet, modò respub. beatas esse dicat, in quibus philosophi regnent, aut reges philosophentur, tū in epistola ad Aristidorum Dionis amicum, Reliquas quidem artes vitam elegantiorem & præstantiorem efficere, meliorem verò solam moralem posse ait: hæc siquidem est (Aud.) quæ sit magistra morum & disciplinæ, hec inuentrix legum, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, ex cuius præceptis, vnus bene actus dies peccanti immortalitati sit anteponendus. Cuius si imago quædam oculis cerni posset, mirabiles credo sui amores excitaret, cùm per trāsannem inspecta, multis adhuc inuolucris occultata, soleat miram sui cupiditatē iniicere, & alijs posthabitis ad se allicere. Quod cùm in alijs, tum in Polemone nobili adolescente perspicuum est, qui cùm ætatem in omni luxu degeret, & benè potus aliquando, sertis redimitus in Xenocratis scholam

de

de temperantia,& temperantiæ laudibus disputātis cū sodalibus irrupisset, institutaq́; disputationē Xenocrates ardentiùs perficeret, ita leniim commot' est illa honesti specie, quam animo ex Xenocratis oratione conceperat, vt non tātum à pristina vita & vitijs reuocaretur, sed philosophiæ quoque ita se dederet, vt Xenocrati in schola succederet. Et fortunatus ille Atheniensium dux Thymoteus Cononis filius id satis indicauit, cum honores, imperia, præ philosophica vita nihili existimauit, qui cum in eo rerum successu esset, vt dormienti vrbes ipsa fortuna tradere diceretur, & Athenienses nouum quotidie laudis genus inquirerent, quo tam fortunatum Imperatorem afficerent, dicitur in Platonem cum suis, non de subsidijs, non de instruendis triremib', aut annonæ caritate (qui sermones vulgi esse solent) sed de virtute & bene viuendo disputantem incidisse. Tum ille: O vita (inquit) verè beata, quo satis declarauit, nihil hominū generi aut diuinius aut suæ naturæ cōuenientius philosophia datum esse, quam qui vituperat, nescio quid putat laudandum esse. Itaq; cùm apud Platonem diuertisset, & frugali, philosophicaq́; cœna exceptus esset, reuersus ad suos, inquit. Qui cum Platone cœnant, etiam postero die bene habent, & Platonem aliquot post dies conueniens, ait, Vos ô Plato melius cœnatis sequenti die, quàm præsenti. Quid verò Alexander magnus? qui Diogenis fama motus, cùm ad eum visendum diuertisset, & eū nihil pompam regiam admirātē, omni cura & molestia vacuum, philosophicum quid tractantem, nihil propter regis aduentum solicitum in dolio sedentem reperisset, hominem miratus, & hominis tranquillitatem exclamauit, si Alexander non essem, Diogenes esse vellem, in quo & si ābitione deceptus peccauerit (nihil est enim, quod magis libertatē eripiat, pro qua viris bonis omnis debet esse contentio) tamē cum eo quod optimū putauit, libertatē philosophicā & securitatē eodē pretio habuit. Sed quid in his immoror? Pleni sunt (Aud.) ista cōmēdatione philoso

AElian. lib. 2.

Platonis disputatio & sermones.

Ambitio libertatē eripit.

philoſophorum libri, plenæ hiſtoriæ, plena veterum monimenta, quibus luce ipſa clarius oſtenditur philoſophiam moralem eſſe, per quam in ſuaui otio, ſine negotio viuatur, per quã animus perturbationibus liberetur, per quã cupiditatibus modus imponatur, tranquillitas mentis comparetur, per quam denique & ex præſentis & ex anteactæ vitæ recordatione mira quædam & ſincera voluptas percipiatur. Quod cùm ita ſit, non committamus quæſo, vt philoſophia neglecta, ſtudium noſtrum, omnémque operam in res humiles & abiectas conferamus. Quid enim tam anguſti, tamq; parui animi, quàm amare diuitias? Quid porrò honeſtius, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatémque referre? Quid odioſius quàm gloriæ cupiditas? quid reliquis eius generis ſordidius fingi & cogitari poteſt? Non committamus quæſo, vt his inhiemus veri inueſtigationem, propriámque hominis actionem negligamus, & alienam vitam, hominíſque præſtantia indignam viuamus. Sed de his hactenus.

Secundũ caput primę diuiſionis. Secundum caput inſtitutæ partitionis continet imperatam legibus & inſtitutis huius academiæ duarum quæſtionum moralium diſputationem, quibus in vtramque partem à quatuor ex his agitatis, quintus de vtraque quod ſibi magis probabitur concludet, & ſtatuet. Quod igitur ad primam attinet, quum ab Ariſt. fœlicitas duplex inſtituatur, quarũ vtraque hac vita terminetur, vna politica, eorũ qui in ciuitatis adminiſtratione, & reip. luce verſantur: altera, quæ philoſophantium in ſolitudine, & rerum contemplatione: dic de priore Guillelme de Montlaurent, pauci enim ſunt qui altera delectantur, & ſi qui ſunt qui rerum præclararum cupiditate, à ſocietate ſe remoueant, ad quã homo natus eſt, homine certè ſunt præſtantiores, dic inquam, ſed ita vt & paternæ ſpei, & meæ de te opinioni reſpondeas, huius frequentię patientia non abutare, rem paucis conficias, aliena non perſequare, An in ea ſummum bonum rectè conſtituitur?

Tu verò Strebæ, vide quid ad ea quæ dicentur ſis reſpõſurus: campus enim proponitur ampliſsmus, in quo & ingenij tui acumen explicare, & facultatem in dicendo his oſtentare poſsis.

Guillelmi de Mõtlaurent, Quòd Ariſtotelica fœlicitate ſummũ bonũ contineatur, Oratio.

Faciã pro conſuetudine quod abs te mihi imperatur (doctiſſ. præceptor) eóque lubentius faciam, quòd & ſummo philoſophantium cõſenſu quod quęris. hactenus approbatum ſit, & à paucis dũtaxat improbetur: quòd Ariſt. ſententiã ſit, in qua non video quod meritò reprehẽdatur. Quid enim eſt, in quo ſummum bonũ eſſe poſsit, niſi in eo quod eſt omnibus numeris abſolutũ, quod propter ſe ſemper, & nũquam propter aliud expetẽdum, quod denique omni bonorũ genere cumulatiſsimũ? An aliquid aliud cogitatione ſaltẽ fingi poteſt, quod probabili ratione nitatur, in quo ſummum bonum conſtituatur? Nullus vnquam ex antiquis philoſophis, qui penè ſunt innumerabiles, & ſi multa non tantùm ſtultè, ſed etiam impiè plerumque de ſummo bono ſenſerint, aliter cenſuit, quàm in eo quod ſi non abſolutè & ſua natura optimum & præſtantiſſimum eſſet, at quod tale videretur, ſummum bonum eſſe collocandum. Hinc Epicurus in voluptate, Stoici in virtute, in honeſtate ſine moleſtia Diodorus, in indolentia Hieronym⁹, & alia permulta, quę quia ſuis patronis & authoribus plurimùm probarentur, eiuſmodi eſſe iudicarunt, quibus ſummum bonum contineretur. Fœlicitatem verò ab Ariſt. inſtitutam, non tantùm opinione talem, ſed ſua

natura & definitione,cuiq; perſpicuũ eſſe poteſt.Eſt enim virtutis perfectæ actio in vita perfecta ,quæ ſi diligenter æſtimentur, nõ ſeparatum aliquod boni genus ,ſed omni um cumulum , non quod ſola opinione bonum , ſed quod ſua natura,nec ad aliud referendum, ſed propter ſe expetẽdũ cõſtituunt,ad quod oẽs noſtras cogitationes, & actiones referre debeam⁹,nõ enĩ ſolũ eas virtutes quæ in officio medio & vſu cõmuni verſãtur,ſed diuinam quandam & planè heroicam:non otioſam, ſed agentem, non varijs rerum difficultatibus ita oppreſſam, vt vix ſeſe excitare, & ex ijs tanquam ex fluctibus emergere poſsit,ſed ſine moleſtia perpetua voluptate , ſine ægritudine, ſumma valetudine quaſi exultantem,fortunámque ad ſuos nutus accommodãtem,& ſi quæ alia acceſſio eſſe poteſt, ſuo ambitu omnia cõtinentem nobis proponũt, qua haud ſcio,ſi verè de rebus æſtimare volumus, nõ ſeuerè & moroſè ad noſtros mores omnia reuocare,an diuinius quicquã homi num generi à Deo datum ſit,& quo magis ad Deorum vitam accedere poſsit. Quòd ſi virtutis per ſe tãta vis eſt,vt in ea ſatis prẹſidii ſummorum philoſophorum iudicio ſit ad beatam vitam,ſoláque virtute beata vita contenta ſit, quid quæſo de fœlicitate ſentiendum?An non illa concludunt fœlicitatem,quæ virtutis perfectæ actio ſit, multis alijs rebus cumulata, ſine quibus virtus ipſa elucere non poſsit,virtute ipſa præſtantiorem,& ſummo bono (quod Stoici conſtituunt)longè maiorẽ? A qua etſi Zeno totaq; Stoicorum familia corporis & fortunę bona reiecerit , vt detracta è mentibus hominum opinione boni,in fortuna & corpore auaritiam & voluptatem tolleret,totum hominem ad honeſtatis & virtutis ſtudium cõuerteret , cætera quæ eſſent in corpore,aut extrinſecus corpori adiungerentur,non eſſe verè bona perſuaderet:non video tamen quã obrem à virtute remoueantur, cùm his ſublatis poſsit aliquis virtute præditus,aut nihil in vita agere,aut in ſũmis malis & miſerijs viuere: difficilè enim eſt præclaras res agere , & reflanti fortunæ ſemper obſiſtere . Quid enim

Alex-

Alexander ille Macedo à rerum gestarum magnitudine magnus cognominatus, an priuatus magni nomen consequi potuisset? An Europam, Asiam, Affricam suę ditioni, singulari sua virtute, non fortunæ beneficio, insigni illa animi magnitudine, non multorum opera & auxilio subiecisset? Credo ne id quidem cogitaturum fuisse. Quid Cæsar? Quid Pompeius? Quid alij penè infiniti Imperatores? An quisquam memoria dignum quid posteris reliquisset, nisi ad singularem virtutem, qua præditi erāt, fortuna ipsa rerum domina accessisset? Equidem quî fieri potuerit non video, cum pleriq; aut eadē aut etiam maiori virtute præditi, reflante fortuna nihil vnquā pręclari in vita egerint, sed ante in medijs fluctibus & procellis fuerūt obruti, quàm portum conspicere potuerīt. Testis est in Callisthene Theophrastus, qui in hanc sententiam, Vitam (inquit) fortuna regit, nō sapientia. Testes, sed alio modo, & philosophi, & imperatores permulti, quos aduersa fortuna à magnis rebus auocauit, & à reip. luce remotos in solitudinem ablegauit. Quod cùm ita sit, & magnam vim fortunæ in vtramq; partem esse cuique perspicuum sit, vt vel dormientibus imperatoribus sicuti de Thimotheo dicitur, vrbes tradere, vigilantibus, & strenuam operam nauantibus easdem possit adimere, cúmque magno impedimento rebus gerendis corporis imbecillitas, & aduersa valetudo esse soleat, sicuti de Affricani maioris filio testātur historiæ: adde quod

Haud facilè emergunt (vt inquit poeta) quorum virtutib⁹
obstat res āgusta domi, (quod etiā consulenti Philippo Apollo Delphicus innuisse videtur, dum mouet

Argenteis pugna telis, & omnia vinces,

cū inquam, tot sint, sine quib⁹ pręclarè in vita agi nihil possit nō video quid sola virtus sine his possit, horum autē accessione, quid nō possit non video. Quá ob rē, Doctissime Præceptor, si quis sit, cui ad singulares virtutes, bonorum corporis & fortunæ ingens quasi cumulus accesserit, & ad extremum vsque spiritum eodem tenore ita vixerit,

vt iustè, fortiter, modestè, temperatè, prudenterq; vixerit, virtutũ actiones nihil impediuerit, ab his nulla molestia auocarit, immouerò optatus euentus excitare potuerit, eum certè beatissimum audebo nominare, & qui contra dicat, morosum & difficilem appellare. Quæ cùm Aristotelis fœlicitate cõtineantur, in ea summũ bonũ rectè cõstitui colligitur, aut cũ sũmo bono eãdẽ esse demõstratur.

IOANNIS STREBAEI
AD SVPERIOREM ORATIONEM, RESPONSIO.

QVò me vertam? aut apud quos cõquerar? quorum ego in hac causa auxiliũ implorem? philosophorũne qui dicũtur? At illi hanc opinionẽ pertinacissimè aut sunt defensuri, aut certè non improbaturi, multitudinísne? At si semel id intellexerit, quod cõdiscipulus recitauit, me profectò si cõtradicere incepero, aut ex hoc loco deturbabit, aut malè mulctatum aliò amandabit. Quid igitur contra tot hominũ iudicia? Et si satis intelligo, doctissime Præceptor, inuidiæ plenũ esse aliquid, vt in rep. sic in philosophia innouare, periculosum de consuetudine aliquid detrahere, aut penitus eã immutare: faciam tamen vt intelligas te hanc partẽ diligenti non timido, vigilanti non ignauo, nec vanos imperitæ multitudinis strepitus pertimescenti cõmisisse. Adeste igitur animis, Aud. qui corporibus adestis & dicenti eam attentionem quam res postulat, concedite. Summũ bonũ, cuius gratia omnia fiunt, ad quod omnia referenda sunt, quod propter se semper, nũquam propter aliud expetitur, in Arist. fœlicitate positum, aut cum fœlicitate idem esse condiscipulus affirmauit, fœlicitatemq; descripsit, actionẽ virtutis perfectæ in vita perfecta: cuius disputationis, quã tum animaduertere potui, duo capita sunt: de quibus dicẽ-

tem me qua facitis beneuolentia intelligite. Primum igitur & in quo totius ſuæ affirmationis vis & robur conſiſtet, eſt perfectiſsimum, quid Ariſt. fœlicitatem eſſe, & omni genere bonorũ cumulatiſsimũ, & propter ſe tãtùm expetendum. At quale illud ſit videamus. Fœlicitas tota, vita, virtutis actione in vita continetur, poſt mortẽ nulla relinquitur, & tamen propter ſe expetitur? An ſatis iſta Chriſtianis hominibus quibus ſumnum bonũ non eſt Ariſtotelicas, id eſt mundanas virtutes in vita perſequi, ſed cum è vita diuinis virtutibus & beneficiis ornati exceſſerit, in cælo diuina luce & claritate perfrui, an ſatis inquã coherentia hæc videantur, propter ſe alquid expeti, nec ad aliud referri, vita tamen terminari? Equidem non ſunt hæc bene ratiocinantis, ſed aut lectorum patiẽtia abutentis, aut mortalem animam iudicantis. Si enim præcipua eſt & præſtantiſsima hominis pars, anima, à qua homo nominatur vt Ariſtoteles ſentit, decimo Ethico, ex ea certè maximè hominis fœlicitas fuit æſtimanda. Quòd ſi immortalem exiſtimauit, ineptè quidem meo iudicio fecit (pace tanti philoſophi dixerim) qui tam breui ſpacio hominis fœlicitatem coucluſerit, poſtea verò infœlicem reliquerit. Nec eſt quod adducantur quæ primo Ethico de mortuis diſputat: ſunt enim aut aniculæ delirantis ſomnia, aut malè & impiè de mortuis ſentientis & irridentis phloſophi iudicia. At verò quænam illa virtus, cuius actione, Ariſtoteli beatus homo eſſe poſsit? Eiuſmodi eſt Aud. vt neque à Deo aliquid acceperit, neque ad eum quicquã referre velit, virtutis enim principia in ipſo homine ſita non aliunde infuſa ineſſe putat Ariſtoteles, quæ hominis conſuetudine & diligentia augeãtur, externo auxilio non indigeant, hominis exercitatione, & induſtria perficiantur, ad perfectionem ſuam Dei beneficio & gratia non vtantur. En condiſcipule, en diuina illa tua virtus & heroica, quæ à Deo nihil habeat, nec requirat etiam, en perfecta illa tua fœlicitas, cuius cauſa omnibus partibus eſt imperfecta. Quam (etiam ſi perfectiſsima ſit) perfectiorẽ

fortuna(vt capite septimo primi Ethici docet)si prosperè flauerit, reddere posit: si verò reflauerit, euertere, & ex beatissimo momento quoddã miserrimum reddere. Quid? an non est illa auditoribus imponentis & non modo cum alijs, sed ne sibi quidem consentientis philosophi disputatio? Quid aliud est eam fœlicitatis perficiendæ causã ponere, quàm solem è mundo tollere, & pro luce tenebras offundere? Non impono condiscipule, Arist. capite nono primi Ethici sententia est, cuius certè philosophi famę & dignitati si non timerem, verba impietatis plena ex citato loco proferrem. Quod autem cumulum quendam bonorum externorum cum virtute requirit Arist. idem certè facit, ac si quis lucenti soli stellulas coniũxerit, nec sine his pleno lumine lucere posse dixerit: est enim virtus mẽtis quidam sol, fortunæ & corporis accessiones, ne vel nebulosè quidem stellulæ lucem in ista comparatione obtinent, nec ad beatè viuendum momentum vllum habẽt, sicuti pluribus à Stoicis disputatur, & christiana etiam veritate satis cõfirmatur. Sed de primo capite satis, ad secundũ veniamus. Veterũ philosophorũ iudicio (inquit cõdiscipulus) præsertĩ Stoicorũ satis præsidij est in virtute ad beatã vitam, in eaq; sũmũ bonũ cõstituũt, alia omnia reiiciunt. Quid igitur de fœlicitate sẽtiẽdũ? At verò cõdiscipule, neque in virtute sũmũ bonũ est, si verè philosophari volum⁹, non pertinaciter susceptam aliquando sentẽtiã tueri, sed cõsequẽdi sũmi boni præcipua causa: quæ si cũ fortunæ, & corporis cõmodis cõparetur, poterit in ea cõparatione sũmum bonũ dici: sin verò cũ eo quod absolutè bonũ est, & sẽper, nullo pacto, mihi crede, poterit, cũ & propter aliud sẽper ab omnibus expeti, & ad aliud bonũ tãquã ad propositũ scopũ referri soleat: neq; si à me id tibi cõcessũ sit, protinus abs te sit effectũ, in fœlicitate esse sũmũ bonũ, cũ sit actio virtutis, quæ plerũq; molesta esse soleț, vt capite 9. tertij Ethici docet Arist. sed finis ratione dũtaxat iucũda.

Quod cũ ita sit, quid est quod aliorum authoritate hac presertĩ in causa nulla, mihi etiã falsa, tuã te his opinionem

nionē probaturū putes? Sed de fortunę cōmodis & corporis licet à tua quæstione forsitā alienū sit, quoniam id ad secundā tuā rationem accesserat, paucis. Nō putat Arist. nō putat cū Aristotele cōdiscipul⁹, Aud. sicut audiuistis, nō putāt ignari homines posse quemquā res pręclaras agere, cui opes desint, éstque illud sacrosanctum Aristotelis oraculum, quod ambitiosi & auari semper habent in ore. At verò quæ res præclaræ, quæ actiones, nisi quæ à virtutibus oriuntur? An sublatis his fortunæ & corporis adiumētis, nulla virtus futura sit, nihil præclarè agi posit? Quid igitur? Qualis Regul⁹ tùm cùm resectis palpebris illigatum in machina Carthaginenses cruciabant, nunquid fortiter & præclarè pati videbatur? Quid Aristides, cùm tam pauper esset, vt eo mortuo dotem filiabus respublica largiretur, iustè agere, & viuere non potuit? Quid aliarū virtutum exempla proferam? An arbitramur liberalitatem marsupio & arca, non animo & voluntate contineri? An non liberaliorem esse eum qui opera, quàm qui pecunia iuuerit, qui animo, quàm qui nummo sustentarit? Nōn arbitramur liberalius esse consolari afflictos, ad bene sperādū cohortari, reuocare à vitiis, ad virtutē excitare & istītuere (quæ ōnia ab animo ꝓficiscūtur & ad animū referūtur) quā caducū nescio quid largiri, ad corpus aut ornādū, aut alendū, cuius si qua æstimatio est, nō rei magnitudine metienda, sed animo & voluntate pōderanda? Quid verò (quoniam tibi condiscipule res præclaras agere, est vrbes euertere, bello res vicinorū capere) an Epaminundæ optimo & præstātissmo Thebanorum imperatori paupertas obstitit, quò minùs in maximum virum euaserit, multáque fortiter & strenuè gesserit? An aliis infinitis imperatoribus? an ipsi etiam Aristoteli, an Demostheni, quò minùs suis temporibus essent clarissimi, quamuis vterque & pauper & ignobilis esset? Satis declararūt virtute & industria omnia effici posse, fortunáque virtutem facilè carere, & eius, dummodo adsit prudētia, nullā vim, nullúmque numē esse. Itaque vexatur libris & scholis re

liquorum philosophorum mollis ille & delicatus Aristotelis discipulus, qui in Chalistene suo, sentẽtiam illam laudarit: Vitam regit fortuna nõ sapientia. Negãt, inquit Cicero, ab vllo philosopho languidius quicquã esse dictum. Sed ista vt dixi, ignauia & ĩperitia vulgi est, quæ Aristoteli tantoperè placuit: dicam enim liberè quod sentio, vt ad tegendam auarissimam cupiditatem, idem quoq; alijs persuadere conatus sit, nec immeritò apud Lucianũ ab Alexandro discipulo notatur, vbi Diogenes cũ Alexandro sic colloquitur apud inferos. Quid fles ò stulte? nonne Aristoteles sapiens te docuit, ne putares ea firma esse quę pendẽt à fortuna? Cui sic Alexander: Sapiens! cùm sit ille omnium adulatorum perditissimus: permitte quæso, me solũ Aristotelis facta scire, quàm multa à me petierit, quæ scripserit, quemadmodum mea ad doctrinam & literas ambitione abusus sit, cũ me modò coleret, & laudaret ob pulchritudinem, tanquam & ea pars quædam esset summi boni, modò ob res pręclarè gestas, & diuitias. (putabat enim in bonis esse) ne sibi vitio verteretur, cùm & ipse eas acciperet. Præstigiosus planè homo, ò Diogenes, & fraudulentus. Sed ad propositam quæstionem redeamus, & refutatis iam ijs quæ à condiscipulo dicta sunt, vt intelligatur quæ & qualis sit Aristotelis fœlicitas, si fieri potest, eam pingui minerua describamus, & rudibus lineamentis adumbremus. Vita ad extremum vsq; spiritum sine vlla ne minima quidem molestia transacta, omni bonorum genere cumulata, animi corporis & fortunæ Aristoteli est beata: sed quomodo instituatur, videamus. Virtutes primò imperantur ad tranquillitatem, & voluptati tanquam famulæ subiiciuntur, vt si in rem penitus inspiciamus, & prudẽtia quę aliarum quasi regula est, ad voluptatem referatur, & reliquæ proximè comitentur: illa quidem vt longè ante prouideat quæ molesta esse possint, & quæ iucunda, quæ quo loco, quibus cum. quo tempore facienda, ne si non accommodatè ad circunstantias aliquid factum sit, dolorem aut molestiam adferat. Iusticia verò ne si cui illata sit iniuria,

is

is sit molestus, vim aut insidias paret, periculum aliquod creet, quæ qui metuit, fœlix non erit: liberalitas vt multitudinis beneuolentiam pecuniarum largitione sibi conciliet: tẽperantia autem ne immodica cibi & potus ingurgitatione, assiduo venereorum vsu, corporis vires debilitẽtur, cruditates toto corpore generentur, à quibus perpetuę destilationes, morbi articulares, & his grauiora intemperantiũ hominũ præmia: quæ si cui cõtigerint, nulla iam integra voluptate perfruet, & Aristoteli ea de causa fœlix non videbit: habeat igit̃ id fœlix Arist. vt ne corp⁹ excessu quodam ledat, homines aut officiis in amore retineat, aut saltẽ nõ offẽdat (quę Aristoteli animi bona sunt) vxorẽ formosam, liberos, magnã oĩum rerũ suppellectilẽ, cliẽtes multos, eas opes, quę & sibi & suis satis esse possit, integras vires, & quę primo Ethico explicãtur, quibus plena quędã voluptas describitur. Hæc est Aud. Arist. fœlicitas, Epicuri sentẽtia, meo certè iudicio deterior, qui, vt refert AElian⁹, dicere solebat, si offam & aquam haberet, se cum Ioue de fœlicitate certaturum, & cui pauca non sufficerent, ei nihil satis fore. Hæc est fœlicitas Epicureorum & Stoicorum amentiam complexa, vt ex diuo Augustino intelligi potest, & christianæ fœlicitati, sicuti ex vtriusque comparatione apparet, penitus opposita. Proh Deum hominúmque fidem? vbinam gentium sumus? in qua tandem regione, in qua Rep. viuimus? in ea scilicet quæ nullã fœlicitatem in hac vita proponit, sed cùm animus è corpore emigrauerit, ea quę paupertate, suppliciis, infamia, contẽptu, tanquam compendiosis itineribus, ad beatam vitam iter patere credit: & tamẽ in veræ fœlicitati opposita cum summa infœlicitate ĩpieta s, defendit, imò verò legit̃, edisc̨ẽda proponitur. O miserã cõditionẽ? o nos miseros, quibus ita imponitur, & pro fœlicitate ad quam omnes nostras actiones referamus, infœlicitas traditur: quam qui sequetur, sequuntur autem nimium multi, iustum Dei iudicium non effugiet. Nec verò est quòd distinctione hæc eludantur, quod de mundana & humana fœlicitate,

Lib. 4.

non de diuina & cęlesti disputetur: est enim acutè philosophantis non quid quisq; dicat, sed quàm rectè dicat animaduertere, & philosophia ad veritatis inquisitionem, nō ad stultarum opinionum defensionem est reperta, nihil inquam est, quòd distinctione hæc eleuētur. Quę enim fœlicitas esse potest, qua quis sit præditus, miserrimus esse possit? Et diuus Augustinus hanc dubitationem sustulit, dum ait: Beata vita non est nisi æterna: hāc volunt omnes, sed ad tam magnam possessionem & tam grandem fœlicitatem, qua itur, construxerunt sibi viam erroris philosophi, & quæ sequūtur. Quod cùm ita sit, Doct. Pręcep., vt iam dicēdi finem faciam, non modò Aristotelica fœlicitate summi boni partem vllam contineri, sed eam summo & vero bono penitus opponi, non modò humanā aliquā, tantùm abest vt diuinam & cęlestem Aristotelica descriptione explicari: sed summam infœlicitatē hominibus proponi existimo, nec Aristotelem tamen reprehendo: sed potiùs tātum philosophum miseratione dignum iudico, qui si quid in tāta quęstione explicāda peccauit, cōmuni ignorantia temporum peccauit: inciderat enim in eam ætatem qua docti simul atq; indocti velut noctuæ ad solem veritatis caligabant, & pro pietate impietatem, pro vera religione superstitionem, pro vero Deo impium cacodęmonem colebant. Atist. inquam de vero bono ignorationem miserandam iudico, sed christianos homines, qui ad eius sententiam tanquam ad saxum adhęrescunt, qui si reprehēdatur Aristoteles, molestè ferūt, qui tātū philosophū nō potuisse errare dicunt, grauissimè reprehendo. Dixi.

De verbis Apostoli.

Hæc de priore quæstione hactenus, Aud. Quod attinet ad alteram, cùm virtutis nomen semper ab omnibus vsurpetur, & in ea fœlicitatis comparandę pręcipua causa constituatur, putásne Philippe Destiuaulx, idem de ea cum philosophis sentiendum? Quòd si quid habeas Canelle, quod contra eius sententiam proferas, erit tibi liberum, & his credo, non ingratum.

PHILIPPI DESTIVAVLX DE VIRTVTE, ET QVID DE EA SENTIENDVM SIT, ORATIO.

MAgno omnium cõsensu hactenus approbatum est, doctissime Præceptor, ex tribus bonorum generibus, singulare & pene diuinum illud esse, quod animo contineretur, atq; ab eo in actum & opus educeretur: cuius cùm variç facultates à philosophis & medicis constituantur, actiones quoque variæ, & inter se non parum dissimiles constituantur, inter quas primum sibi locum vendicat virtus: reliquç enim artes vitã quidem prçstantiorem & elegantiorem reddunt, meliorem autem & beatiorem sola moralis philosophia, eáque de causa, quòd virtutibus, virtutúmque actionibus nos Deorũ quàm simillimos efficiat. Et Socrates meo quidem iudicio, Appollinis oraculo sapientissimus idcirco est iudicatus, quòd homines à rerum naturalium contemplatione ad sui cognitionem & notitiam reuocarit, reuocatósque ad virtutis studium, vt præstantissimum, semper excitarit, multáque de ea re diuino quodam numine instinctus in suis sermonibus dixerit: quç postea Plato literis mandauit, & ab obliuionis iniuria vindicata, immortalitati consecrauit. Definitur autẽ habitus animi iudicio & cõsilio susceptus in ea mediocritate positus, quã sapiẽs præscriberet, cuius tãta vis tantúsque splendor est, vt si oculis cerni posset, mirabiles, credo sui amores excitaret, cùm efficiat vt eos in quibus eam esse suspicamur, etiã si nũquã viderimus, tamẽ diligamus. Sola est quæ & aduersis perfugiũ & prosperis reb⁹ solatiũ prçbeat, sola quç viuẽtes in officio contineat, morientes nõ deserat, sola quç nobiscũ peregrinetur, & cũ ex his corporis vĩculis euolauerimus, ad Eliseos cãpos nos comitetur, sola denique ex omnib⁹ reb⁹ ad quã homo natus est,

maxime

maximè quã qui fuerit cõſecutus, & cũ magna cõmendatione & hominum admiratione viuere, & cùm è viuis excesserit, ad beatorũ ſedes poterit euolare. Hæc eſt, Aud. virtuti à philoſophis,attributa pręſtantia, hic ſplendor, hoc de virtute philoſophorũ iudicium & ſentẽtia, ad quã ſi oratione aliquid accedere poſſe putarem,tentarem certè, vt ſi non dignè laudare, at nihil ad laudem prętermittere viderer:ſed cùm ſit eiuſmodi, vt nullius tanta vis ſit ingenij, nulla tanta vbertas orationis, tantaq; dicendi copia, quæ non dico ornare dicendo,ſed comprehendere cogitando poſsit tantam dignitatem,his ego me finibus continebo, ne dũ eius pręſtantiã volo illuſtrare, ſplendorẽ videar obſcurare. Veſtrũ eſt, Aud. id de ea cogitatione conſequi, quod oratione pſequi nõ poſſum. Quod igiť ad propoſitã quęſtionẽ attinet, taléſne iudicandę ſint morales virtutes, quales à philoſophis eſſe dicuntur, vt ad beatã vitã ferè ſatis poſsint,aut abſolutè illam efficere poſsint, & maximè ne ex omnibus expetendæ ſint, multa certè me mouẽt, vt idem atq; illi hac de re ſentiã,& pręter magnum authoritatum pondus,à quibus nunc breuitatis cauſa abſtineo,efficit id pręſertim rationum vis & multitudo. Etenim cùm propria & vera cuiuſq; rei actio rem ipſam cuius eſt propria, exercitatione aſsidua perficiat,aut ſaltẽ multò quàm antea fuerit,perfectiorem reddat, id in homine certè virtus efficere videtur:cuius cùm proprium munus ſit,ratione vti, eoq; duntaxat à beſtijs diſtinctus ſit, ſi à virtute in opus educatur, & exerceatur, ſicuti re vera fit, perfectior meo quidem iudicio,efficitur.Quo poſito & eam quoque partem cuius ratio eſt,perfectiorem & pręſtãtiorem relinqui concedatur oportet,à qua cùm homo dictus ſit, idque potius hominis appellatione dignum ſit, quàm figura ea, quę oculis cerni, & digito monſtrari poteſt, virtute hominem perfici & abſolui cuiq; ſit perſpicuũ. Adde verò, quòd ea vita beata eſt ęſtimanda maximè, quę ſecũdum naturã eſt,quę cũ perfectionẽ illã ratiocinãdi, quę à virtute generatur pro regula habeat,& ad eam omnia referat,vt verè

&

& sincerè de singulis ęstimet, efficitur beatæ vitæ causam à virtute petēdam, & ex virtute & studiosis actionibus beatam vitam ęstimandam esse. Quid verò, quòd mediocritas est? habet id satis, vt præ omnibus virtutē expetēdam putemus, cùm & vulgi sermone tritum illud sit, & à sapiētissimis quibusq; approbatum.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.

Ne quid nimis. Et omnibus in rebus modus est pulcherrima virtus, Quibus satis ostenditur mediocritatē in omnibus retinendam esse: vt enim minimo alimento, aut parciori natura læditur, mediocri seruatur, nimia exercitatione calor natiuus exhauritur, nulla aut parciore à redūdāte humore extinguitur, mediocri cōseruatur, & validior redditur: vt in musica non nimis altè, nō nimis summissè, sed ad proportionem temperatę voces requirūtur, sic in affectibus, qui sunt actionum fontes, excessus & defectus sūmoperè fugiendi sūt, qui sine incommodo esse nō possūt: at mediocritas semper retinēda, quippe quæ sit ad naturā maximè accōmodata, sed tamen variè pro circūstātijs distinguēda. Neq; enim ęqualis sumptus inopi, vt sit liberalis, est faciēdus, atq; Cræso: neq; eadem ratione fortis Marius, qui eo die quo assecutus est Teutonas, sub ipsis alpium radicib' ad aquas Sextias eodē eos debellauit, & Fabius qui Annibalis vim cūctādo & certamē detrectādo fregit, vnde cūctator postea est appellatus. Illū enim præsēs & patriæ imminēs periculū, ad aleam iaciēdā (vt dicitur) impellebat, & mora victoriā aut difficiliorē promittebat, aut oīno adimebat. Hunc verò Annibalis astutiā deleti tres exercit', vnus ad Trebiā, alter ad Trasimenū, lacū, tertius ad Cānas, patrię subuersio si exercitū amisisset, ad cūctādū impulit: vterq; tamē in tā diuersis factis fortis fuit. Quæ cùm ita sint, Doctiss. pręcept. & oīū, pene iudicio cōfirmata & lōga iā cōsuetudine recepta, virtutes morales, habit' mētis animi iudicio susceptos in mediocritate, cū recta ratione agētes esse puto, in quibus causa sit efficiēs beatos homines, si vlla

alia

alia,& de quibꝰ veterũ philoſophorũ ſententiã maximè approbo,& de ijs etiã fortaſſe maius aliquid quàm illi ſenſerint, animo & cogitatione concipio. Dixi.

IOANNIS CANELLI RESPONSIO.

MAgnum opus & arduũ (Doctiſsime Præceptor)vt rem quam communibns votis omnes approbauerint, improbare, & aliqua iã conſuetudine receptam tollere,ſic aut in vetere inſtitutione aliquid innouare, aut ea iam penitus abrogata nouam aliquam proponere, multa ſiquidem nobis aliorũ conſuetudine & faciẽda,& non facienda, imitãda & corrigenda ſunt: nec quẽquã hoc errore duci oportet,vt ſi quid Socrates aut Ariſtippus, aut magnus aliquis,ex antiquorum familia philoſophus cõtra morẽ conſuetudinẽq; ciuilem fecerit, locutúsue ſit, idem ſibi arbitretur licere: diuino enim & ſingulari quodã bono eam licentiã ſunt aſſecuti:à quo ſi quis hodie inſtinctus ſimile quid tẽtarit, impunè certè non fecerit.Quod etiã ſi non ignoro,faciã tamen in iſta cauſa,quoniã ita imperaſti, vt ſi authoritatũ momẽta deſint, quibus ea quæ à cõdiſcipulo dicta ſunt, poſsĩ euertere,rationes & argumẽta,quibus id luce ipſa clarius oſtendam,non videantur deeſſe. Colligite igitur vos ipſos aliquãdo,& quæ à me dicentur remotis parũper authoritatibus,æquis animis ęſtimate. Magnificũ virtutis encomium ab infinitis pene hominibus decantatũ,à philoſophis memoriæ mandatũ, ab iis pene omnibus qui viuũt,ſummopere approbatũ condiſcipulus approbauit, atq; cum illis præſtãtiſsimũ quid & quod beatũ hominem efficere poſſit, virtutẽ eſſe cenſuit, quod ſi de vera virtute diceretur,

equi-

equidem approbarẽ:de morali verò à philosophis tradita, & tot locis cõmendata,efficere quidem non potui,quũ improbarẽ. Etenĩ cũ verè cogitanti vnicum re vera bonũ sit æternũ,cõstãs & certũ,nullis tẽporibus,nullis circũstãtiis, personis, locis,regionibus astrictũ, & quod si nemo honestum & bonum esse ęstimarit, nemo assequutus sit: tale tamen semper sit, nec immutari possit :eius consequendi vna semper & eadẽ ratio erit, quæ si virtus est, eadẽ semper nõ ad personarum nutus & locorũ situs accõmodata, sed ad sui finis, id est summi boni similitudinem efficta & efformata esse debuit. At Deus Opt.Max. quę ista in philosophis virtutibus cõstãtia? quæ mediocritates sunt,quales prudens,id est qui simulare,dissimulare, ridẽtibus arridere, omnibus,vt summatim dicã, sese accõmodare, & Gnatonẽ Terẽtianum imitari potest,describeret? An non singulis regionibus mutantur? quid regionibus dico, an non singulis vrbibus ? furari adolescentibus Lacedemone licuit,vt ista cõsuetudine hostibus calidius insidiari assuescerent:quod qui strenuè fecisset Lacedemone, rectè,& ex virtute egisset,& ad finem accomodatè, qui Laconibus & Licurgo fuit victoria: hoc idem Athenis si quis fecisset,legibus Draconis capite luisset,nulla furti ratione habita, magnúmne, mediocre an paruum esset. Romanis & antiquis penè omnibus gloriosum fuit, & hodie quibusdam maximè probatur , si quis lacessitus iniuriam attulerit, eáque ad cõmendationem adolescentibus via erat, si inimicitias paternas persequerẽtur, cũ tamẽ nobis nullo modo iniuriam liceat inferre,sed ei qui intulerit, bene velle, nec qui nos oderint, odisse, sed iratorũ inimicorum amicitiam conciliare oporteat. Gallis nostris religiosum fuit hospites immolare,at græcis inhumanum & barbarum. Persis nulli vitio fuit commessari, vino & cibo sese replere, in cõuiuio meretrices & scorta adducere,at vicinis populis à temperantia & honestate fuit alienũ.Catoni summæ virtuti fuit,quòd violentas sibi manus attulerit, nullo modo tamen id approbari possit . Romano fidem da

tam

tam violate ignominiosum fuit, idē facere si è re sua esset Peno laudabile, infinitáq; eiusmodi passim in historiis reperias, quæ locorū tātùm circunstātia rectè facta sint, alio loco si fiant, in vitio sint, multa à quibusdam rectè, quæ eadem aut similia mutata persona sceleratè, multa deniq; hoc tempore aut malè aut bene quæ alio contra, fierent. Ex quibus satis intelligitur nullam in illa mediocritate constantiam, sed pro varia cuiusque reip. institutione, pro vario ciuitatis fine variè immutari, vt multis summa virtus sit, quod nobis detestandū scelus est, multis sit religiosum quod nobis impietatis est plenissimum. Quid igitur? Decorum duplex fingunt philosophi, alterū quod ex omnibus virtutibus eluceat, & quod vt venustas & pulcritudo corporis à valetudine secerni non potest, sic totū cum virtute cōfusum est, nec ab ea re ipsa seiungi potest. Alterū autem ex singulis. In vtroque caput illud est & præcipua cura vt probemur iis quibuscum, apud quosque viuimus, idest, ad omnes circunstantias nos accōmodemus: quod si pro locis, personis immutatur, virtutes quoq; ex quibus illud est, immutētur oportet, nec omnibus idem sit virtus. Ex quibus credo, satis intelligitur, cùm quod aliquo in loco rectè factum sit, omnibus rectè factum esse debeat, fucum tantùm id esse quod philosophi describunt, nec in eo tantam vim esse, vt re ipsa vlla ex parte beatiorem hominem possit efficere, immo quod aliqua persuasione miserrimum reddere possit. Quid, quod ex omni æternitate sibi constans & consentiens, optima vitę dux natura, quam qui sequetur, nunquam aberrabit, & ad quam vt quisque proximè accessit, ita īter suos optimus fuit, quid inquam? an non omnibus eas à principio leges hominum mētibus insculpsit, quibus honesti vim, & eius quod agēdum esset, satis expressit? an non omnium rerum causam effectricē Deum Opt. Max. scilicet in spiritu & veritate adorandū & suspiciendum docuit? Nulla enim gens est tam barbara, quàm non imbuerit quædam opinio Deorum. An non ab omni iniuria deterret? Id videre licet cū in primis homi

mi

minibus tum in reliquis sui generis animantibus. Multáque alia sunt non scripta primò, sed hominibus ingenita, quæ non à magistro didicerunt, aut ab aliquo acceperũt, aut in monimẽtis legerunt, sed ex ipsa natura arripuerũt, hauserunt, expresserunt, ad quæ non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti fuerũt, quibus eius quod re vera, non quorundã opinione honestũ est, vis exponitur: quod cùm ab ipsa natura originẽ duxerit, eam in omnibus imitetur, naturę constantiam retineat, locis, personis, temporibus non accommodabitur, & quicquid ab eo vel latum vt dicitur, vnguem discesserit, id omne in vitio erit: cuiusmodi sunt penè omnes philosophicę virtutes, ex quarum prę-scripto qui ab omnib⁹ gustus & tactus, in quibus tẽperantia mediocritas est, voluptatibus abstinuerit, vitiosus sit, qui omnia pauperibus dederit, in excessu & exuperantia liberalitatis peccauerit: & alia eiusmodi penè infinita, quę qui Dei amore egerit, is ad veram fœlicitatem expeditum iter sibi parauerit. Quid igitur nobis de his sentiendum? Repetam paulò altius si lubeat, ne quisquam miretur ista à me de virtutibus dici Ex antiqnis oraculis quibus cacodęmones præfuisse scimus, iustitia, fortitudo, temperantia & reliquę philosòphorum virtutes docebantur, ad earúmque studium & amorem homines inuitabantur, & à contrariis vitiis deterrebantur. Apollo siquidem Glauco Lacedemonio percuntanti an depositã apud se pecuniam negaturus esset, respondit nihil interesse, an Deum tẽtaret, an idipsum faceret: itaque fore vt tota domus eius periret, quod ita paucis pòst diebus accidit. Idèmque Lacedemoniis de sua vrbe consulentib⁹ dixit: Spartam nulla alia re, nisi auaritia esse perituram. Et præceptum illud quod erat Delphis inscriptum γνῶθι σ'αὔτον, id est, Nosce te ipsum, Socrates apud Platonem sic interpretatur, cole prudentiam & iustitiam. Et legunlatores antiqui leges, quæ virtutis doctrinam tradunt, à certis diis, (quos cacodęmones fuisse constat) accipere se profitebantur, vt Solõ à Minerua, Licurgus ab Apolline, Minos à Ioue, Carondas à Sa-

turno, Numa Pompilius ab AEgeria nimpha, nostri Druides à Mercurio. Quam ob rem cacodęmon quamuis impietatis & sceleris author, & fautor sit, tamen vt in terris diuini numimis maiestatem sibi vendicaret, & homines falsis virtutum vmbris in suam sectam, idest sempiternam miseriam pelliceret, virtutes istas proponebat, quas qui adepturus esset, eum nihilominus infœlicem & miserum fore intelligebat. Qua arte non tantùm imperitam multitudinem, sed & summos philosophos in fraudem & errorem induxit, sic eos quibus verũ iter ad beatã vitã vera religio, verus deus ignot⁹ erat, decepit, fefellit, induxit. Itaque cùm etiam atheũ & sine religione, sine pietate hominem nihil prohibeat, iustum, prudentem, temperãtem, reliquísque philosophorum virtutibus ornatum, & tamen miserrimum esse, fucum istum & falsas virtutum vmbras reiicio, & à philosophis de virtute plurimũ dissentio.

DIXI.

Audiuisti Noëme Bourloys, condiscipulorum sententias de propositis quæstionibus, quorum quisque ita mihi dicere visus est, vt quod suscepisset, verum sibi videri ostenderet, & nobis idem persuadere vellet. Verumenimuerò cùm ita inter se dissideant, vt quod vnus probauit, alter improbaret: quod vnus apud nos effecisset, alter euerteret, vt quisque habeat quod sequi possit, relicto cuique libero iudicio, quid ex eorum disputatione maximè tibi probetur, edissere, & quàm poteris breuiter id confice.

NOEMI BOVRLOYS
DE VTRAQVE QVAESTIONI, CONCLVSIO.

DVO ſunt igitur (Doctiſsime Præceptor) de quibus mihi hoc tempore dicendum, an in Ariſtotelis fœlicitate ſummum bonum ſit poſitũ, & an de virtutib' moralibus idem cum philoſophis ſentiendũ: de quibus cùm in vtramque partem à cõdiſcipulis ita dictum ſit, vt neq; ornatiùs neque accuratiùs quicquam dici poſsit, nõ repetam altiùs Aud. ſed de vtroque ſummatim dicam: ita tamẽ vt me fidémque meam in iſto iudicio omni ſuſpicione liberaturum, & in decernẽdo æquitatem ſeruaturum, confidam. Quod igitur ad primum attinet, expedita quæſtio eſt & facilis: neque enim ſummum bonum in hac vita vlli poteſt contingere, ſed cùm è viuis exceſſerit: nullus hîc beatus poteſt eſſe, ſed cùm ex corporis vinculis ad beatorum ſedes euolarit: ſicuti ab eo qui ſecundo loco dixit, pluribus eſt expoſitum. Quod ſi cui ſummum bonum humanum videatur, ab eo Epicureroũ ſententia approbetur oportet: & ſi verè volumus æſtimare, non Ariſtotelicæ authoritati tantùm tribuere, vt tantum philoſophũ non putemus errare potuiſſe, nihil ſit, quanuis abſurdum, quod non fingamus, vt eum ab errore vindicemus, eadem penè fœlicitas à Martiale deſcripta cum Ariſtotelica eſſe videbitur.

Epigrã-ma. 9.

Vitam quæ faciunt (inquit) beatiorem,
Iucundiſsime Martialis hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, ſine arte menſa,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis,

Non tristis thorus, attamen pudicus,
Somnus qui faciat breues tenebras,
Quod sis, esse velis, nihilque malis,
Summum nec metuas diem, nec optes.

Et alio loco fœlicitatē istā Aristotelis breuiùs cōprehēdit.

Liber amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber in æterna viuere digne rosa,
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea serta caput.
Nigrescant vetulo semper cristalla falerno,
Et caleat blando mollis amore thorus.
Qui sic vel medio finitus vixit in æuo,
Longior huic facta est, quàm data vita fuit:

Quę cùm ex vtriusque comparatione satis intelligantur, nec tamen illa fœlicitate (si vlla est) præditus, cuiquam viro bono, beatus aut fœlix videatur, imo verò qui sic vixerit, miserimus putetur: & multi qui aliquando id sunt cōsecuti, nobis christianis sint infœlicissimi: efficitur in Aristotelis fœlicitate summū bonū esse non posse, nec humanum quidem quod verè bonum sit, ea comprehensum esse. Alterum verò multò difficilius est, & quod hactenus virtutis nomine præstātissimum aliquid significatum sit, quo maximè homines commēdarentur, & quod eius origo & natura occulta sit, nec nisi summo studio, & assidua meditatione intelligatur. Dicam tamen, & quàm fieri poterit apertè & breuiter: & fortasse breuiùs quàm tanta res dici possit, dicam quid sentiam. Natura cùm eximium aliquod, & reliquis longè præstantius opus effecisset (hominem scilicet) & in quod qui intueretur, imaginē quandam veri illius exemplaris cerneret, non tantùm quæ ad formam & dignitatem pertinebant summa industria omnia singulis partibus adhibuit: sed vt immortale esset & æternum, & præ cæteris beatum ad immortalitatem iter aperuit, & quî id consequi posset, docuit, virtutúmque & honestatis leges singulorum mentibus inscripsit: ex quarum decreto (natura duce) si vitæ cursum homines conficere

potuissent, haud sanè erat, quòd doctrinam requirerent. Verùm cùm ab illis primi etiam homines defecissent, nec tanto naturæ beneficio vsi essent, paulatim pro vera illa & naturali lege, opinio: pro certa institutione, recepta à paucis consuetudo introducta est: vt nõ iam quod sua natura, honestum esset, sed quod opinione: non quod ex se rectè fieret, sed quod consuetudine, homines amplecterentur, in eóque & honestas & virtus posita videretur. Et nobis quidem nunc paruulos, ex magno illo in primis hominibus incẽdio, natura dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibúsque deprauatis sic restinguimus, vt nusquam naturæ lumẽ appareat. Sunt enim (inquit Cicero) ingenijs nostris semina innata virtutum, quę si adolescere liceret, ipsa nos ad beatã vitam natura perduceret. Nunc autem simulatque ęditi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuò prauitate & in summa opinionum peruersitate versamur, vt penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cùm verò parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Accedunt etiam Poëtę, qui cùm magnam speciem doctrinæ sapientiǽquę præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, & inhęrescunt penitus in mentibus. Cùm verò accedit eodem quasi maximus quidem magister populus, atque omnis vndique ad vitia consentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum varietate, à naturáque ipsa desciscimus: vt nobis optimam naturam inuidisse videãt, qui nihil melius homini, nihil magis expetẽdũ, nihil præstãtius honorib', imperiis, populari gloria iudicarunt, ad quam fertur optimus quisque, verámq; illam honestatem expetens, quàm vnam natura maximè inquirit, in summa inanitate versatur, consectatúrque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriæ. Itaque cùm opinione magis quàm re ipsa virtutes sint, quas philosophi descripserunt, & aliquando ab ipsa naturę regula plurimùm differant, ad no-

minis commendationem, & probitatis opinionē, vitámque inter homines commodiùs transigendam multū pos-
caput. Tertiùsse non dubito, sed ad beatam vitam solas, parum aut nihil prodesse existimo, atque de his aliter vera luce illustratos homines, atq; philosophos iudicare oportere cōfirmo.

Dixi.

De tribus propositis initio capitibus, duo hactenus absoluta sunt Aud. quid iam restat, nisi vt quod tertium fuit, ijs omnibus quorum ope hæc incepimus, inceptáque, ad exitum perduximus pro consetudine gratias agamus & habeamus, Tibi igitur, O qui res hominūq; deūq; Æternis regis imperiis & flumine terres, gratias maximas habeo, quod homunculū meæ puluere aliquando excitaris excitato eam mētē dederis, vt literas perciperem, currenti iam, non Phœnicem vnum (vt aliquando Achilli pater) sed plures Nestores & dicendi & faciēdi magistros vno tempore dederis, in quibus quicquid humanitatis, quicquid virtutis, & literarum vsquam esset, reperiri posset, quòd eos mihi commiseris, in quorum ingeniis excolēdis, omnes mihi molestias & labores tuo nomine perferre iucundum esset: quòd denique instituta hæc disputatio à te incepta, te eodem duce & authore ad finem sit perducta: Tibi inquam, Deus Opt. Max. pro his immortalibus tuis in me beneficiis, aliísque infinitis immortales gratias ago & habeo, petóque vt hodiernum diem reliquósque omnes, & ad tuam commendationem, & ad nostram omnium salutem illuxisse patiare, eámque nobis mentem perpetuò largiare, qua & quæ tibi grata sint, agamus, & à tuis præceptis nusquam aberremus.

Secundus locus debetur Henrico Valesio Regi Christianissimo & Galliarum imperatori, semper Augusto, cuius tam fortunato & salutari imperio hæc omnia faustis & fœlicibus auspiciis, per viros bonos & doctos bene administrantur. Tibi verò Carole Lotharinge Cardinalis illustrissime, quæ potest pro singularibus & priuatis, & publicis beneficiis, gratia referri? Pro quibus si parum tibi

cumu

cumulatè gratias egero, quęso obeſtſtórq; ne mihi potiùs, quã magnitudini tuorũ meritorũ tribuẽdũ putes. Qui me condiſcipulóſque meos quinto ab hinc animo Lutetiæ ca lũnia per fraudem intentata, publicis ſcholis eiectos, diligentiæ, & laboris noſtri teſtimoniis priuatos, more ſolitò recipi voluiſti, qui cauſa domi cognita, & poſtero die p oratores in ſenatu publicè diſputata, eodem tempore Petrum Ramum præceptorem & Mecœnatem meum ſingulari tua authoritate & humanitate, multis moleſtiis liberaſti, liberatumq; paulò poſt, ſubringentibus quibuſdam qui tantæ virtuti inuiderant, maiori reipub. commodo, cui ſe natum & exiſtimat & pręedicat, quàm ſuo, regia eloquentiæ & philoſophiæ profeſsione ornaſti Pro quibus ſi corpus, ſi animam, ſi vitam quæ hoc corpore continetur, debere me tibi dixero, parum certè dixero, Sed hæc priuata: quale verò illud eſt, quo tu de vniuerſo hominum genere ita mereris, vt diuino beneficio ad communẽ vtilitatem excitatus, nõ tibi natus videare? Qui, vt heroicas res tuas geſtas prætermittam, de re literaria tantùm dicam, à qua ad omnes vitæ partes, omnis manat vtilitas, templum ſapientię, muſarum domicilium in hac vrbe excitaſti, excitatum regiis & pontificiis priuilegiis ornaſti, ornatúmque ne quando laberetur, annuis vectigalibus & perpetuis ſtabiliuiſti. Quibus tuis in vniuerſum hominum genus beneficiis, cum neque ij qui ex hoc loco ante me de tuis laudibus dixerunt, in agendis gratiis reſpõdere potuerint, neque id aſſequi poſsim.

Dij tibi ſiqua pios reſpectant numina, ſi quid
Vſquam iuſtitiæ eſt & mens ſibi conſcia certi,
Præmia digna ferant, quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluuii current, dum montibus vmbræ
Luſtrabunt, conuexa polus dum ſydera paſcet,
Semper honos, nomẽque tuum, laudéſq; manebunt.

Perge igitur iſta tua liberalitate literas, literatóſque fo-

Sic petitur cælum, non vt ferat Offan olimpus,
Summaque Peliacus sydera tangat apex

Faxítque Deus Opt. Max. vt te saluum & incolumem, totámque tuam illustrem familiam nobis diutissimè conseruet, & pærceptis quæ in vita summa sunt, post mortem præstet, quod optimum. Sed hæc ad absentem. Tibi verò dignissime Rector, qui nobis ab illo secūdus es, & pro singulari tua adhuc priuati in hanc Academiam beneuolentia, & in hoc magistratu constituti prudentia in administranda, & præsentia nūc, in ornanda, maximas gratias habeo Vobis verò Theologis, Medicis, Philosophis qui adestis (nominatim enim singulos persequi esset infinitum) qui natam vt ita loquar, & in lucem æditam Academiam protinus excepistis & aluistis, crescentem seruastis, adultam iam singulari prudentia & doctrina ita regitis, vt breui ad perfectionem nihil videatur desideratura (& si paucis ista debeantur, vniúsque Alexādri nostri opera & industria, omnium labores hactenus longè superentur) vobis quoque omnibus Aud. qui ista frequentia disputationes nostras ornastis, & præsentia vestra decorastis, gratias quantas possum, maximas ago & habeo.

DIXI.